


**Dissertationem Theologicam De Gratia Dei Homines Vocante : Seria Et Vniversali
Ad Locos Matth. XXII, 1-14, Et Io. IV, 47-54 Illvstrandos**

Wittebergae: Stanno Tzschidrichiano, [1756?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862449227>

Druck Freier  Zugang






410 a. B.
48. b. 8.

23.

Ja-1092 (23)

2.
24.
4.
2.
5.
2.
19.
18.
9.
10-6.
115.
114.
13. 36.



2.
24.
4.
5.
6.
7.
19.
18.
9.
10-6.
115.
117.
13. 36.

2.
24.
3.
4.
2
5. 2
6.
2
7.
19.
18.
9. 4
10-6 3
115. 3
114. 33
13 36.

Q. D. B. V

DISSERTATIONEM THEOLOGICAM

DE

GRATIA DEI HOMINES
VOCANTE
SERIA ET VNIVERSALI

AD LOCOS

MATTH. XXII, 1-14, ET IO. IV, 47-54.

ILLVSTRANDOS

PRAESIDE

CHRIST. SIGISMUNDO GEORGIO

SS. THEOL. DOCT. EIVSDEMQUE PROF. PVBL. ORDIN
REGIOELECTORAL. ALVMNORVM EPHORO
ET ORD. SVI H. T. DECANO

AD DIEM MAIAS CIO IO CC LVI

IN AVDITORIO MAIORI

DEFENDET

IO. LAVRENTIVS HAVMANNVS

SVHLA. HENNEBERG

VVITTEBERGAE

STANNO TZSCHIDRICHIANO EXCVSA

DISSELTATIONEM THEOLOGICAM
DE
GRATIA DEI HOMINES
VOCANTE
SERVA ET UNIVERSALI

AD LOCOS
MAGISTRUM MATHIAS
MAGISTRO
FRANCISCE
CHRIST. SIGISMUNDO GEORGIO

ET THEOLOG. ET PHILOSOPH. PROF. PUBL. ORDIN.
REGIUM ACADEMIARUM RERUM
ET ORD. SVEV. A. T. DECANO
AD ROST. MAG. C. G. G. G. G.
IN ACADEMIA MAIORI

DEPONENTI
IOH. PATRICKIUS HAVAMANNUS
S. P. S. H. H. H. H. H.

IMPRIMATUR
STANNO TESSMICH AND EXCUSA

Postquam DEVS ter O. M. omnes homines uult saluos, *1 Tim. II, 4*, eoque consilio Filium, Saluatorem omnium hominum, dedit mundo, *Io. I, 29, III, 16, Rom. IIX, 32, 1 Tim. IV, 10, 1 Io. II, 2*, quis dubitaret de serua eius uoluntate uocandi et saluandi homines. Prologo quidem temporis et loci ratio non concedit, ut altius hanc ueritatem expendere possit, duas tamen pericopas annunciat, ex quibus seruiam DEI uoluntatem homines ad regnum gratiae, Euangelii praeconio, uocandi cognoscere possis, quarum altera DEI oeconomiam uocandi homines gratiosam duobus similibus perspicue exhibet, atque, omnem in hominibus esse culpam damnationis suae, euincit, altera exemplum huius uocationis profert, nosque in hac ueritate confirmat. Faxit Summum Numen, ut omnia eius gloriae et Ecclesiae aedificationi bene uertant.

CAPVT I

Q V O

EVANG. DOMIN. XX POST TRINITATIS

MATTH. XXII, 1 — 14, EXTANS

ILLVSTRATVR

V E R S V S I — 3

1 Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς πάλιν ἔπεν ἀν-
 τοις ἐν παραβολαῖς, λέγων. Ὁμοιωθή-
 2 ῃ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ἀνθρώπου
 βασιλεῖ, ὅστις ἐποίησε γάμους τῷ
 3 υἱῷ αὐτοῦ, καὶ ἀπέστειλε τοὺς δού-
 λους αὐτοῦ καλέσαι τοὺς κεκλημένους
 εἰς τοὺς γάμους, καὶ οὐκ ἤθελον εἰσελθῆν.

*Quare respondens Iesus iterum dixit
 ipsis in parabolis, dicens. Affimi-
 latum est regnum coelorum homi-
 ni Regi, qui fecit nuptias fi-
 lio suo, et misit seruos suos
 uocare inuitatos ad nuptias, et
 non uoluerunt uenire.*

ΕΞΗΓΗΣΙΣ

Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς -- λέγων. *Quare, cum Iesus Phariseorum et
 sumptuorum Sacerdotum uideret cogitationes ac consilia, uel etiam obmur-
 murantium audiret sententias sanguinolentas, quod indignantes illi capere
 ipsum*

A 2

ipsum uellent, quamuis metu adhuc populi a proposito arcerentur, iuxta u. 45 et 46 cap. antecedentis, prop. fuisse enim Seruatorem hanc, quae sequitur, parabolam immediate post priores duas parabolas, in cap. XXI, 28, seqq. et u. 33, seqq. adductas, tum series contextus tradit, tum harmonia Euangelistarum, docet, qui parabolas nostras proxime antecedentes, immediate cum quaestione, maxime fallaci, de censu Caesari dando, coniunxerunt, ujd. *Marc. XII, 1 -- 17, Luc. XX, 9 -- 26, respondens* ad uarias ipsorum ratiocinationes, in quibus forte et haec fuit, sibi fieri iniuriam, nec se esse tales, quales parabolis ad uiuum adumbrauerat Iesus cap. XXI, 37 - 44, nec regnum DEI a se culpa sua iri ablatum, *quare*, ut utrumque denuo euinceret, eos ipsos esse malos istos, qui oblatam gratiam reiicerent, ideoque grauius plectendos, *respondens iterum locutus est ad ipsos*, quamuis praesciret, se parum effecturum esse, cum malam in partem acciperent digmata Christi, ad ipsorum pacem respicientia, quia excoecati erant, *Matth. XIII, 15, in parabolis*, quarum altera ad Iudaeos, u. 2 - 8, altera ad gentiles pertinet, u. 9, seqq. Malunt quidem alii uerbum ἀποκρίνεσθαι synecdochice accipere, ut non notet responsionem ad sermonem, sed sermonis continuationem, quos inter b. STOCKIUS est, scribens, καὶ ἀποκριθεὶς, Postea *respondens*, i. e. porro loquens, per Synecdochem. Nam ἀποκρίνομαι, non solum significat respondeo ad quaestionem, sed etiam sermonem ordior, aut continuo, sine praecedente interrogatione, intermissum sermonem prosequor, ac uelut nouum subiicio, porro loquor. Ita legitur *Matth. XI, 25, XXVI, 63*. Verum nihil uidetur impedire, si utramque sententiam coniunxeris, statuens, Seruatorem et orationem suam continuasse, et continuantem simul respondeat ad ipsorum male sanum propositum, ut ab eo eos reuocaret, parabolis sequentibus, scilicet, uti diximus, altera Iudaeorum malitiam et perniciem, altera gentium uocationem et salutem, ipsis indicante. Hinc porro nulla nos urget necessitas, ut uel cum aliis interpretibus enaligen numeri pluralis pro singulari in uoce παραβολαῖς quaeramus, cum reuera duae sint parabolae, uel cum GOMARO, STOCKIO, aliisque locutionem ἐν παραβολαῖς aduerbialiter *parabolice* interpretemur, uel denique cum aliis supponamus, Saluatorem plures adhuc dixisse parabolas, quae hic conscriptae non essent, quae opinio textui repugnare uidetur, qui cum dictione ἐν παραβολαῖς uocem λεγών coniunxit, ut adeo, parabolas, quas dixit, hic scriptas esse, omnino intelligatur. Plura de παραβολαῖς uoce uid. in his locis, quos, uox *parabola* in *Indice* indicat. Quibus addantur ea, quae PRICAEVS obseruauit, ad *Matth. XIII, 3*, scribens, ἐν παραβολαῖς, *sumis ab omnibus rebus, quo facimus eorum animi ulabretur, traheret.*

que

que eos ad rationes bonae inculpatae indolis. SENECA. Apud antiquos nondum captabatur plausible oratio, illi qui simpliciter et demonstrandae rei causa loquebantur, parabolis referti erant, quas existimo necessarias non ex eadem causa, quae Poetis, sed ut imbecillitatis nostrae adminicula sint, et differentem et audientem in rem praesentem adducant. Bene P. CHRYSOLOGVS, semper sibi diuina sufficiunt, sed ob hoc hominibus humanis insinuantur exemplis, quia coelestis prouidentia, non quid ipsa dicere, sed quid auditor capere possit, attendit.

Ὁμοιωθῆναι - - τῷ οὐρανῷ αὐτοῦ. *Simile est regnum coelorum, i. e. regnum gratiae, uel DEI, de quo uid. quae supra diximus ad u. 24. Euang. Domin. V. post Epiphaz. et ad u. 1. Domin. Septuages. uel, ut aliis dicitur, Ecclesia, quae est domus DEI in his terris, 1. Tim. III, 15, ad quam inuitantur homines, ut cum Christo, in medio inimicorum suorum regnante, Ps. CX, 2, hic sint, Matth. XXII, 20, et regnent, ut AVGVSTINVS lib. XX, c. 9, de Ciuit. DEI, loquitur, Hic quodammodo sancti cum Christo regnant, cum ipsis ad consummationem seculi usque adsit ille, qui dominatur in medio inimicorum suorum. Atque hoc regnum gratiae, tum temporis constituendum praecognito Euangelii, simile est, siue assimilatum, simile factum, est, ut VVLGATVS habet, et b. GERHARDVS urget, qui recte emphasin in hac dictione obseruauit, scribens cap. CLIII Harm. Euangel. p. 370, a. Probe autem notandum, quod Christus non dicat, ὁμοιωθῆναι ἢ βασιλεία, sed ὁμοιωθῆναι assimilatum, siue simile factum est. Neque enim in se, ac per se, tale est regnum coelorum, ut, quae de illo hoc loco commemorantur, ad eius naturam essentialiter et necessario requirantur, sed accidunt illi uitio hominum, qui uocationem ad illud regnum uel contemnunt, uel in eo sine ueste nuptiali comparent, unde propria ipsorum culpa uocatio ad hoc regnum cedit ipsis in maiorem damnationem, cuius regnum ipsum in se et sua natura non est causa. Idem ergo est, ac si diceret. Vos regnum coelorum simile fecistis ac facietis homini Regi, multos quidem ad nuptias filii sui uocanti, sed exiguam pro hoc beneficio a uocatis gratiam impetranti. Quamuis uero in praeterito dicatur regnum coelorum simile factum eiusmodi Regi, tamen ex phrasi Hebraica subintelligendum etiam tempus praesens et futurum, praedicat enim rem futuram, quamuis aliqua ex parte iam dum coeptam. Ut uero ratione emphaseos lubentes assentimur summo Viro, sic ab eo, quando a phrasi Hebraica eam reperit, ut dissentiamus, Graecae linguae indoles iubet, uid. Vindic. cit. p. 254, iuxta quam praeteritum praesens et futurum includit phrasis Graeca ὁμοιωθῆναι, simile factum est regnum coelorum homini Regi, i. e. cuidam Regi, uid. Vindic. N. T. p. 239, seq. qui secum filio suo nuptias, ut sponsam secum coniungeret*

geret electam, cuius coniunctionis testes esse solent conuiuæ. Intelligitur uero h. l. per Regem DEVS Pater, per Filium λόγος, per nuptias alii ipsum matrimonium, hoc est unionem personalem inter duas naturas in Christo, de quo infra, alii prandium, siue coenam nuptialem, uti *Luc. XV, 1*, uocatur, hinc Syrus per conuiuium ^o *ἡδονή* reddidit, quo indigitantur omnia bona spiritualia, *Eph. I, 3*, quibus in regno gratiæ uescimur et induimur, ut Manna et aqua uerbi diuini, *Pf. XXIII, Ies. LV, 1, 2, Io. VI, 48, seqq.* uestimenta salutis, quæ sunt uestis iustitiæ Christi; *Ies. LXI, 10, Eph. IV, 24, Col. III, 10*, datatque illud conuiuium non per aliquot dies, aut menses, quale illud Ahasueri erat, *Esb. I, 4*, sed per totum uitæ humanæ spatium, utrumque uero sensum cum uox γάμος obineat, utrumque etiam, h. l. coniungendum esse, et, u. 2, ipsum matrimonium, u. 3, autem conuiuium, denotare, statuimus. Adfunt ergo Pater sponsi et sponsus ipse, adest domus, adfunt epulæ, adfunt conuiuæ, iuxta uersum 10. sed ubi sponsa? Atque hoc fuit, quod interpretes torsit, et varias ad sententias ferendas eos adegit. Alii enim cum CHRYSOSTOMO, faciunt, Ecclesiam esse sponsam, statuente, et *Homil. 70 in Matth. XXII*, scribente, *Cuius causâ nuptiæ appellatæ sunt, inquires? Ut tum DEI erga nos præcipuam curam charitatemque cognoscas, et rerum splendorem non ignores, ubi nihil triste, nihil luctuosum, sed omnia spiritualis gaudis plena sunt.* Hac ratione Iohannes sponsum appellat, hac ratione Paulus quoque dixit. Vni ego uos uiro despondi, *2 Cor. XI, 2*, et rursus, magnum hoc est mysterium, ego autem dico de Christo et Ecclesia, *Eph. V, 32*. Cum quo faciunt HIERONYMVS, CALOVIVS, aliique plures, sed his obstare uidetur, quod Ecclesia, siue eius membra, ad has nuptias inuitentur, et in conuiuio referantur, iuxta uers. 8, seqq. ergo non sponsa simul et conuiuæ esse possunt, imprimis si ad improbos respicias conuiuas reprobosque. Et quamuis aliis in locis Ecclesia, siue unumquodque eius uerum membrum, dicatur sponsa Christi, quod lubentes damos, Vid. *Pf. XLV, Cantic. V, 2, Hes. II, 19, Eph. V, 32*, et alibi, tamen ab istis locis ad præsentem non ualet consequentia, quia circumstantiæ, quæ in his parabolis obseruantur uariant rem. Alii cum ORIGENE, THEOPHYLACTO, et qui sunt reliqui, de unaquaque anima fidei exponunt, sed eadem his obstat exceptio adducta. Alii cum HILARIO in h. l. ad uitam coelestem et æternam gloriam sponsam referunt, scribente, *Fecisse Patrem nuptias filii et sic inuitasse, noua ratio est. Nam nuptias facere et auctoris et temporis est nuptiarum. Verum hic nuptiæ uitæ coelestis et in resurrectione suscipiendæ æternæ gloriæ sacramentum est. Merito igitur a Patre sunt facta, quia æternitatis huius societas,*

14.

tas, et noui corporis desponsa coniunctio perfecta habeatur in Christo, sed obstat, quod ad has nuptias boni et mali inuitantur et admittuntur, ad nuptias autem, quae sunt regni gloriae boni saltem, quod in his, iuxta u. 11, reperiatur aliquis, qui ueste nuptiali indutus non est, in regno autem gloriae nemo carebit ea, quod ex hoc regno aliquis eicitur in tenebras, sed ex regno gloriae nemo eicietur, reliqua. Alii cum AVGVSTINO, GREGORIO, CHEMNITIO, GERHARDO, RVSSIO, STOCKIO, reliquis, nuptias intelligunt personales, (Quinque enim refert nuptiarum genera b. GERHARDVS in *Harm.* cap. 153, 1) *carnales*, quae sunt in hac uita inter marem et foeminam, 2) *sacramentales*, quae sunt inter Christum et Ecclesiam, haecque ideo Christi sponsa appellatur, *Pf. XLV, 10, Cant. IV, 8, Ies. XXII, 5, Io. III, 29*, 3) *mysticas*, inter Christum et fidelem animam, quae per fidem Christo desponsata est, *Hos. II, 19, Apoc. XXII, 17*, quaeque cum sacramentalibus magnam habent cognationem, quia Ecclesia nihil aliud est, quam coetus fidelium et sanctarum animarum, Christo uera fide adhaerentium, *1 Cor. VI, 17*, 4) *coelestes* inter Christum et Ecclesiam triumphantem, *Apoc. XIX, 7*, 5) *personales*, inter λόγος et assumptam humanam naturam, quam Filius DEI personali foedere sibi copulauit, quibus λόγος, siue Filius DEI, assumpsit humanam naturam, sibi ab aeterno desponsatam, in utero uirginis, *Tunc enim*, scribit GREGORIUS, *Hom. 38, DEVS Pater Filio suo nuptias fecit, quando hunc in utero uirginis humanae naturae coniunxit, quando DEVM ante secula fieri uoluit hominem in fine seculorum.* Et has personales nuptias hic indigitari, quas posthaec securum sic conuiuium, probat b. GERHARDVS ex ipsa locutione, ἐποίησε γάμους τῷ υἱῷ αὐτοῦ, scribens, l. c. p. 371, *Primo enim nuptiae haec diuinae paratae non conuiuiis, sed ipsi Regi Filio, proinde per eas non potest in hoc uersu 2 intelligi nuptiale conuiuium, quod conuiuiis paratur, sed ipsa personalis humanae Naturae cum persona τοῦ λόγου unio.* Sane Graecis γάμος et coniugium ipsum, et conuiuium nuptiale, significat, sed quando Rex dicitur ποιήσας γάμους Filio suo, res ipsa ostendit, priorem huius uocabuli significationem hic locum habere, quando uero postea, u. 3, conuiuii ad γάμους inuitari dicuntur, tunc in posteriori significatione hoc uocabulum accipitur. Quare cum per conuiuiarum inuitationem uocatio Ecclesiae intelligatur, per sponsam Filio Regis copulatam, directe et principaliter non intelligitur ipsa Ecclesia, sed potius humana natura, Filio DEI personaliter in unione copulata. Commendatur igitur per has Filii DEI nuptias ineffabilis Patris coelestis Φιλανθρωπία et amor erga genus humanum, quod Filio suo sponsam elegit, non ex Angelis, sed ex genere humano, secundum *Hebr. II, 16*, Hanc igitur expositionem, si, ad ipsam sponsam

24
23
2
24
2
2
3
19
18
17
1633
15
36

sam in parabola respexisset Seruator, absolute asseuerandam et reliquis omnibus antefereendam esse, quilibet intelligit, sin uero statuendum sit, quod in parabolis ad scopum loquentis tantum sit respiciendum, non uero ad omnes circumstantias, nec ultra mentem eius, extendendae sint, omnino nec parabolas nostras ad sponsam extendendas esse, nemo non uideret, siquidem Christi intentio non erat mysterium unionis suae personalis parabolis dictis proponere, sed uoluntatem DEI antecedentem, iuxta quam ostendebat, omnes eum Iudaeos saluos uelle, ideoque eos ad regnum gratiae, Euangelii praeconio, tum per *Iohannem* et discipulos eius, tum per ipsum Filium, tum per Apostolos, inuitasse. Cum uero illi hanc gratiam malitiose reiecerent, eam, iuxta uoluntatem DEI consequentem iri ablatam ab iis, gentilibus uero oblatam, ostendit parabola altera, *Act. XIII, 46*. Quae cum ita sint, aut de sponsa Regii Filii in his parabolis operose disquirendum non esse, aut ab ultima standum esse sententia, arbitramur, quae, humanam Christi naturam, ab aeterno Filio DEI desponsatam, et in tempore assumptam, sponsam esse proponit.

Και απέστειλε - - οὐκ ἠθέλον ἐλθεῖν. Et misit, cohaeret haec dictio et copulatur cum antecedenti uersu, hinc rectius commate, quam puncto, uersus antecedens est terminandus, seruos suos, per quos indicari uidentur *Iohannes* Baptista eiusque Discipuli, alii quidem etiam Apostolos et reliquos Discipulos Christi, ipsumque Christum hic referunt, sed cum de his seruis non dicatur, quod isti illasi, uel eorum nonnulli a Iudaeis occisi, fuerint, solum *Iohannem* cum Discipulis eius intelligimus, uocare ex gratia uocatos dudum, qui sunt Iudaei in V. T. per Prophetas ad Messiae nuptias, siue conuiuium, uocati, h. e. praemoniti de aduentu Messiae, et quod ad ipsos istud pertineat, quod omnibus populis in N. T. erat parandum, *Ies. XXV, 6*, et primario ad Iudaeos spectabat, *Matth. XV, 24, Act. XIII, 46, et, i. e. sed, uid. Vindic. cit. p. 165 non uolebant uenire*. En summam dementiam! Quid enim dementius, inquit *CHRYSOSTOMVS* ad b. l. quam, cum ad nuptias uoceris, respires? Nam quis in nuptias non optaret, et quidem Regis, quas amantissimo Filio facit? ergo culpa in ipsis, non in DEO, erat, *Matth. XXIII, 37, Act. XIII, 46, ipsi uolebant uenire*, gratiam DEI contemnentes et abiicientes, seque ipsos uita aeterna iudicantes indignos, *Act. XIII, 46*. Ergo intelligitur, non ex absoluto quodam decreto, sed ex gratia, uocatos esse conuiuias, nec ex absoluto decreto eos reprobatos, sed quia, gratiam Regis coelestis contemnentes, semet ipsos reprobauerunt. Id quod Seruator in alia quoque parabola, quae eiusdem fere est rationis, iisdemque fere uerbis legitur, *Luc. XIV, 16, seqq. asseruit*. Hinc *CALVINVS*, *MALDONATVS*, alique, a *CORNELIO*

a LAPIDE ad hunc *Matthaei* locum, et 10. GERHARDO, p. 365, confutati, eandem esse cum nostris parabolis, crediderunt, sed falso, siquidem Dominus, 1) illam, quae apud *Lucam* est, parabolam proposuit in domo Pharisei cuiusdam, *Luc. XIV, i*, hanc vero in templo Hierosolymitano, *Matth. XXI, 23*, paulo ante mortem eius, 2) illius parabolae occasio erant uerba, *Beatus, qui edit panem in regno DEI*, quae, u. 15, non nemo dixerat mensae assidens, huius autem occasio erant sanguinolenta Phariseorum consilia de Christo tollendo, *Matth. XXI, 46*, 3) apud *Lucam* dicitur Paterfamilias, qui coenam fecisset, hic autem dicitur Rex, qui filio suo nuptias fecit, 4) iuxta illam unus mittitur seruus, qui inuitasse dicitur conuiuas, iuxta hanc uero plures mittuntur serui, et quidem iteratis uicibus, 5) ibi conuiuae sese adductis rationibus excusant, seruo humaniter dimisso, hic uero partim contemnunt Regis gratiam, partim illudunt seruis, partim interficiunt eos, 6) de illis pronuntiatur sententia, quod nemo ipsorum coenam sit gustaturus, hi uero interficiuntur, ciuitate ipsorum accensa, additaque sententia, quod conuiuae nuptiis non fuissent digni, 7) in illa dicitur, quod seruus duplici uice fuerit emissus, antequam domus impleta fuit conuiuis, hic uero una uice emittuntur serui, et complentur mensae, 8) in illa nulla fit mentio, quod dominus ad conuiuarium uestitum attenderit, multo minus, quod aliquem, qui uestitu nuptiali destitutus fuit, uinctum eiecerit, nec leguntur uerba adiecta, *multi sunt uocati, pauci autem electi*, quae tamen omnia in his *Matthaei* obseruantur parabolis, reliqua.

Π Ρ Ο Σ Ο Ι Κ Ε Ι Ω Σ Ι C

- I Ex eo cognoscas amorem, gratiam, et misericordiam Hospitatoris, quod tot similibus locutus est ad Iudaeos. Nam eo fine iis usus est, ut, ingeniis ipsorum inseruiens, ad ueritatem eos excitaret agnoscendam, et salutem, quae praesto erat ipsis, amplectendam, non uero ut ueritatem et gratiam obregeret. Quomodo enim, eum, qui ueritas est, *Io. XIV, 6*, qui ad ueritatis agnitionem omnes uult perductos, *1 Tim. II, 4*, ueritatem obregerere posse, credibile est?
- II En amorem et misericordiam DEI, qua Filium suum, nostra causa, cum humana natura, ipsi ab aeterno desponsata, non tantum coniunxit in tempore, *Io. I, 14, III, 16, Gal. IV, 4, 5, Tim. III, 16, Hebr. II, 14*, sed etiam ad nuptias eius, siue ad regnum gratiae, re inuitauit, ut perpetuo cum ipso uiuas et regnes, *Matth. XI, 28, 1 Petr. II, 9, Apoc. I, 5, 6*. Noli ergo hoc gratiae tempus negligere, multo minus contempere, uid. paulo post *περσοικ. I*, seqq. ad uersus seqq.

B

III Quod

III Quod tet percant animae, non DEVS in culpa est, qui, ne id fieret, omnem dedit operam, *Ies. V, 4*, imo ne Filio quidem suo parcens pro nobis tradidit eum, *Io. III, 16, Rom. IV, 25, IIX, 32*, sed ipsi homines, qui nolunt venire, *Ies. LXV, 2, Matth. XXIII, 37, Act. XIII, 46*. Exhorresce igitur summis iniurias, quibus illi laceffunt DEVM, qui, hunc in culpa esse, conuittantur.

IV Voluntas quidem DEI est serua, qua omnes uult ad ueritatis agnitionem ut perueniant, et salui fiant, *Ies. LXV, 2, 1 Tim. II, 4, 1 Io. II, 2, coll. Num. XXIII, 12*. sed hominum uoluntas sese conuertendi non est serua, *Gen. VI, 5, Act. IIX, 21, 23, XIII, 46*, idcirco illi ipsi, non DEVS, sunt in culpa, uid. *προσοικ.* anteced.

V Regnum quidem gratiae, ex consilio DEI, ad omnes homines pertinet, *Ies. XXV, 6, LV, 1, Matth. XI, 28*, et Saluator omnium hominum est datus, *Io. III, 16, 1 Tim. IV, 10, 1 Io. II, 2*, sed omnes homines in illud introire et Saluatorem suum facere nolunt, iuxta *προσοικ.* antecedentes.

VERSUS 4—6

4 Πάλιν ἀπέστειλεν ἄλλους δούλους, λέγων. εἶπατε τοῖς κεκλημένοις. Ἰδοὺ τὸ ἀγεῖν μου ἡτοίμασα, οἱ ταῦροι μου καὶ τὰ σιτισὰ τεθυμένα, καὶ πάντα ἔτοιμα. δεῦτε εἰς τοὺς γάμους. Οἱ δὲ ἀμελήσαντες, ἀπήλθον, ὁ μὲν εἰς τὸν ἴδιον ἀγρὸν, ὁ δὲ εἰς τὴν ἐμπορίαν αὐτοῦ
5
6 Οἱ δὲ λοιποὶ, κρατήσαντες τοὺς δούλους αὐτοῦ, ἔβρισαν καὶ ἀπέκτειναν.

Iterum misit alios seruos, dicens. Dicitate inuitatis. Ecce prandium meum parauit, tauri mei et ahilia mandata sunt, et omnia parata. Venite ad nuptias. Sed illi negligentes abierunt, alius ad suum agrum, alius ad mercaturam suam. Reliqui autem, comprehendentes seruos eius, contumeliis affecerunt et interfecerunt.

ΕΒΗΓΗΣΙΣ

Πάλιν ἀπέστειλεν -- δεῦτε εἰς τοὺς γάμους. Rursus secunda uice, DEVS longanimis et hominibus bene captiens, qui perituros quaerit et uocat, ne pereant, *Ies. LXV, 2, Ier. III, 12, 13, alios seruos, i. e. ministros, uid. Vind. p. 45*, (uri Paulus, *1 Cor. IV, 1*, uocat se et suos cooperarios) scilicet Apostolos et Euangelistas, *Ies. LII, 7, Rom. I, 1, Phil. I, 1, Tit. I, 1, 2 Petr. I, 1, Iac. I, 1, Iud. uers. 1, Apoc. I, 1*, tum eo tempore, quo cum Christo uersabantur, *Luc. IX, 1, seqq. XI, seqq.* ipsumque Filium, qua manus Prophetarum, *Ies. XLII, 1, Matth. IV, 17, Hebr. I, 1, 2*, tum, posthaec, cum, post ascensionem Christi in coelos, donis Spiritus S. in festo Pentecostes essent intructi, *Act. II, 1, seqq. dicens, praeci-*

14.

praecipiens. *Dicite blanda uoce, Ies XLII, 3, 4, LII, 7, et persuadere, eo fine, ut accedant, Matth. XI, 28, inuitatis iam iam, Iudaeis, tum in V. T. a Prophetis ante nuptias factas, tum in N. T. post nuptias factas a Iohanne Baptista eiusque discipulis. Ecce, attendite quaeso ac uobiscum reputare rei magnitudinem, prandium meum nuptiale, idque magnificentum pretiosissimumque paravi, tauri et altilia sunt mactata, et omnia sunt parata, ut conuiuas intelligerent partim, uoluntatem uocantis ad nuptias esse seriam, non simulatam, alias Rex tot tantosque sumtus non impendisset, nec toties eos inuississet, partim uero, nihil deesse nuptiis, nisi conuiuas, et penes ipsos stare, utrum uelint Regiae gratiae et honoris participes fieri, nec ne. Intelliguntur uero per hoc prandium, et per uarios cibos potusque, uaria bonorum coelestium genera, ad regnum gratiae spectantia, et a Christi merito promanantia, quibus in Christo DEVS benedixit nobis, qui huius regni sumus incolae, Eph. I, 3, qualia sunt, uerbum DEI, sacramenta, fides, iustitia, gaudium in Spiritu S. reliqua, Ps. XXXIII, 1, seq. Ies. LV, 1, 2, Matth. XXVI, 26, seqq. Marc. XVI, 15, 16, Iob. VI, 35, 51, 54, seqq. Io. VII, 37, Rom. XIV, 17. Ad hoc splendidum igitur Regiumque conuiuium iuber conuiuas, ut constituto tempore comparerent, inuitare, sequentibus mansuetudinis uerbis, Venite quaeso, Ies. LV, 1, Matth. XI, 28, (in quo loco inidem uox DEVS obseruatur,) oramus et obsecramur, Act. II, 14, 29, VII, 2, XIII, 38, 2 Cor. V, 20, ad nuptias, uobis destinatas, nec salutis tempora friuole contempnatis, Act. XIII, 46, 2 Cor. VI, 2. Quae ceterum in hoc loco per tauros atque altilia uolunt intellecta ueteres, ut per tauros uel Patres V. T. qui portarunt iugum legis, uel eos, qui simul fuerunt Prophetae et sacerdotes, ut Ieremias et Ezechiel, uel S. Martyres, cer. per altilia uero uel Prophetas V. T. Spiritu S. repletos, uel Viros N. T. Spiritu S. donis saginatos quasi, hic repetere nolo, utpote parum huc conuenientia. Vid. si lubet, b. GERHARDVS, l. c. p. 379.*

Οἱ δὲ ἀμελήσαντες - εἰς τὴν ἐπιπέλειαν αὐτοῦ. *Sed illi inuitati morem gerere nolebant seruis inuitantibus, sed repudiabant gratiam Regis, negligentes ternam inuitationem, ac parum curae habentes tum honoris, quo Rex eos primario mactatos, tum epuli, quo eos reficere, uolebat, ne quid deesset ipsis boni, abierunt contemptores, a seruis se auerentes, aliis enim rebus intenti erant, quae ipsis magis curae cordique erant, quam epulae nuptiales, diuitiis scilicet aliisque uanitatibus huius mundi, hinc, alius se recipiebat ad suum agrum, id est ad negotia domestica, et economica, quorum curis distractus non ea, quae ad animam spectabant, cu-*

rabat, alius autem ad suam mercaturam, quam Iudaei in templo quoque, quod nefas erat, exercebant, *Matth XXI, 12*. His duobus autem hominum generibus videtur tota gens Iudaeorum Laica expressi, aut enim ex agris, quo referuntur simul prata, horti, et, quae cum his sunt coniunctae reliquae res domesticae et oeconomicae, ex quibus alitur familia, aut ex mercatura, quo etiam referuntur officia, artes, cetera, vivebant et questum faciebant. Haec igitur longe anteferebant bonis coelestibus, imprimis, cum falso persuadebant sibi, regnum *Messiae* mundanum futurum esse regnum, hinc ex hoc praeeudicio omnia diiudicabant, et quae doctrina ipsis felicitatem, divitias, voluptates, honores, et maiestatem huius mundi ante oculos non ponebat, eam parum curantes negligebant, imo facile a sacerdotibus suis incitari poterant, ut eam cum ipsis persequerentur, pro ut sequens versus id asseuerare videtur.

Οἱ δὲ λοιποὶ - καὶ ἀπίστευον. *Reliqui autem, qui in antecedentium numero non referuntur, per quos intelligi posse videntur sacerdotes, Principes populi, et omnes ii, qui neque ex mercatura, neque ex oeconomia, uicium quaerebant, hac inuitatione offendebantur potius atque ira incendebantur, quam ut commoti inuitationi locum dedissent. Ratio huiusmodi peruersitatis erat, quoniam Regis nuptiae, siue *Messiae* regnum gratiae, non ipsorum ingenio respondebat ac praeeudicatae opinioni, quando, id quod erat spirituale, huius mundi esse, et in edendo ac bibendo consistere, statuebant, *Rom XIV, 17*. Hinc opprimere hoc regnum allaborabant, atque, ne ad nuptias illas irent sui, pro uirili impediabant, *Matth XXIII 13*, ideoque capientes huius regni praeecones et ministros, tum ui, tum insidiis, contumeliis affecerunt, illudendo, contumeliand, atque accusando eos haerefens, seditionis, et quae id genus calumniae erant plures, et denique interfecerunt. Initium fecerunt horum facinorum, cum Ministrorum, qui emissi erant, principem, magnum illum Prophetam, *Dan XII, 18, 19*, ipsi quoque, Filium Regis, ceperint, contumelias affecerint, et denique interfecerint, *Matth XXVI, 47, seqq. XXVII, 1, seqq. Marc XIV, 43, seqq. XV, 1, seqq. Luc XXII, 47, seqq. XXIII 1, seqq. Io XIII 1, seqq. XIX, 1, seqq.* Deinde uero ceperunt, prout Saluator in hac parabola indicauit, et abbi praedixerat, *Matth XXIII 34, 37, Luc XXIII 31*, contumelias affecerunt, et interfecerunt reliquorum sero unum hanc parabolam, uid. *Act IV 1, seqq. V, 17, 18, 33, 40, VII, 59, XII, 2, 4, XIII 50, XIV, 5, 19, XVI, 24, XXI, 27, 32, XXII, 24, XXIII, 2, 2 Cor. XI, 23, seqq.* reliqua.*

Π Ρ Ο Σ Ο Ι Κ Ε Ι Ω Σ Ι Ο

- I En longinimitatem ac patientiam DEI qua peccatorem fert, eumque semel iterumque quaerit, ut poenitentiam agens in gratiam redeat, *Ies. LXXV, 2, Ier. III, 12*, neque in aeternum peccat, *Rom. II, 4, 2 Petr. III, 9*. Noli hanc gratiam DEI contemnere, ne eam abs te auferat, *Act. XIII, 46, 2 Cor. VI, 2*.
- II DEI quidem uoluntas est, ut omnes homines fiant salui, est immutabilis, *1 Sam. XV, 29, Rom. XI, 29, 1 Tim II 4, 2 Petr. III, 9*, sed tu, o homo, qui ei repugnas, es in causa, quod fructus eius in te non redundet, tu es in causa, qui, dum ad nuptias accedere non uis, eam mutas, *Matth. XXIII, 37, Act. XIII, 46*.
- III Nonne haec serua est uoluntas DEI omnes homines saluandi, quando Filium suum unigenitum pro omnibus tradidit? *Io. III, 16, Rom. IX, 32, 1 Io. II, 2*, quando toties ad gratiam homines uocat? *Ies. LXXV, 2, Matth. XXIII, 37*.
- IV Omnia, quae ad salutem aeternam pertinent, sunt parata, nihil deest, nisi ut accedatis. Venite ergo, edite et bibite, *Ies. XXV, 6, LV, 1, seqq. Matth. XI, 28, Io. VII, 37, Apoc. XXII, 17*.
- V Quam multi despiciunt coelestia, ea quae mundi sunt, sectantes, *2 Tim. IV, 10*. Nolite amare hanc Delilam, ne pereatis *1 Iob. II, 15, seq.* sed regnum DEI quaerite, *Matth. VI, 33*, et uocem DEI uos ad illud uocantis, audite, ut uiuatis et satures fiamus, *Io. XI, 25, 26, Apoc. VII, 16, 17, conf. προσοικ. anteced.*
- VI En causas, cur omnes homines salui non fiunt, contemptum uocationis et uerbi diuini, amorem mundi, et quae huius mundi sunt, irrisionem et persecutionem legatorum DEI! Quae cum incredulitatis sunt facinorae, de quibus sententia iam dicta est, *Io. III, 17* desine DEVM accusare, qui hominum incredulitatem accusare debebas.
- VII Hominum utique leges et ius gentium iubent, inuiolati ut sint Principum legati, in eosque, qui delinquant, seuerè animaduertunt. Quanto ergo maior in eos erit statuenda poena, qui DEI, Regis regum, offendunt uel tantquam legatos? Obseruate DEI mandatum mortales. Quod *Pf. CV, 15*, exiat.

V E R S V S 7 — 10

7 Ἀκούσας δὲ ὁ βασιλεὺς ὠργίσθη, καὶ
πέμψας τὰ στρατεύματα αὐτοῦ ἀπο-
λλοῦσε τοὺς Φαρισαίους, καὶ τὴν πό-
8 λιν αὐτῶν ἐνέπρησε. Τότε λέγει τοῖς
δοῦλοις αὐτοῦ. Οὐκ ἔτι γάμος ἑτοίμος
ἔστι, οἱ δὲ κεκλημένοι οὐκ ἦσαν ἄξιοι.
9 Πορεύθε οὖν ἐπὶ τὰς διεξόδους τῶν
ὁδῶν, καὶ ὅσους ἂν εὕρητε, καλέσατε
10 εἰς τοὺς γάμους. Καὶ ἐξελθόντες οἱ δοῦ-
λοι ἐκῆνοι εἰς τὰς ὁδοὺς, συνήγαγον πάν-
τας, ὅσους εὗρον, πονηροὺς τε καὶ ἀγα-
θοὺς. Καὶ ἐπλήθη ὁ γάμος ἀνακειμένων.

*Audiens autem Rex iratus est, et mit-
tens exercitus suos perdidit homici-
das illos, et civitatem eorum incen-
dit. Tunc dicit servis suis. Nu-
ptiae quidem paratae sunt, inuitati
autem non erant digni. Ite igitur
ad compita viarum, et, quoscunque
inueneritis, uocate ad nuptias. Et
egressi serui illi in vias, congre-
uerunt omnes, quotquot inuenerunt,
tum malos tum bonos. Et impletas
sunt nuptiae discumbentibus.*

Ε Ξ Η Γ Η Σ Ι C

Ἀκούσας δὲ - - ἐνέπρησε. *Audiens autem, i. e. postquam autem Rex audi-
uit, haec nefanda facinora sceleratissimorum hominum, rumore ad se per-
lata, quod non tantum contempserint friuole gratiam suam, sed etiam, eo
malitiae progressi, innocentes suos ministros interfecerunt, iratus est, san-
guis enim profusus iustitiam eius implorabat, uindictam poscebat, Gen.
IV, 10, Ps. X, 12, 13, 2 Chron. XXIV, 22, Matth. XXIII, 35 ira uero Regis est nuncius
mortis, Pron. XVI, 14, XIX, 12, et ideo mittens exercitus suos, ut iustitiam
exerceret, et maiestatis suae laesae puniret crimen, perdidit misere homi-
cidas illos, qui adeo grauiter in Regem et proximum peccauerant, ipsorum-
que civitatem, in qua haec tanta scelera perpetrata, innocentumque san-
guis effusus erat, incendit, funditusque deleuit, ut haec iniustitiae quo-
que et malitiae suae poenas lueret latronum spelunca. Intelligitur uero per
iram Regis, hac in parabola, DEI iustissima puniendi ratio sceleratos homi-
nes, contemtores gratiae suae, per exercitus tum Romanorum copiae, de
quibus Daniel iam uaticinatus erat, Dan. IX, 26, tum fames, pestilentiales
morbi, ac seditiones, quae in DEI exercitibus referuntur, quia iisdem ho-
minum coercet malitiam, eorumque punit delicta, Leuit. XXVI, 25, seqq.
Apoc. VI, 8, per homicidas Iudaei, qui legatos DEI, ipsumque Filium DEI, in-
terfecerunt, et per civitatem denique accensam Hierosolyma cum reliqua
Iudaea, quae a Romanorum exercitibus sunt deuastata et funditus deleta,
uid. quae ad u. 41, seqq. Euang. Domin. X post Trinitat sunt dicta. Ex qui-
bus euidentur concludimus, DEI uoluntatem saluandi Iudaeos fuisse seriam*
et be-

et beneplaciti, non hypocriticam et signi, qua enim ratione simulatio ista et hypocrisis, quam tamen utramque in hominibus detestamur, cum ueracitate, iustitia, et sanctitate DE I conciliari possint, nemo adhuc aduersariorum docuit, nec docebit.

Τότε λέγει -- οὐκ ἦσαν ἀξιοί. Tunc, eo ipso tempore, quo audierat Rex, inuitatos partim nolle uenire, licet iteratis uicibus essent rogati, partim uero, quales quantasque sibi intulissent iniurias ac contumelias alii, ideoque homicidarum istorum euertere speluncam decreuerat, ut iustam ab ipsis facinerosis sumeret seeleribus uindictam. Non enim, ut recte scribit b. GERHARDVS, ad h. l. p. 386, hoc referendum ad proxime praecedentia, quasi tunc demum seruos suos iusserit ire ad uiarum exitus, quando perdiderat homicidas, et eorum ciuitatem succenderat, cum constet, statim post resurrectionem Christi Apostolos fuisse iussos praedicare Euangelium omni creaturae, Marc. XVI, 15, ac docere omnes gentes, Matth. XXIX, 19, quod, ipsos quoque sedulo fecisse ex Aetorum historia, constat, sed referendum hoc est ad remotius, quod tunc iusserit promiscue omnes uocare, cum intelligeret, honestiores primo loco uocatos comparitionem pertinaciter recusare. Quare tunc, cum haec audiret, dicit seruis suis, qui redierant, et annunciauerant, quae sibi suisque commilitonibus acciderant, per quos reliqui Apostoli, legati, et Euangelistae, qui adhuc supererant, nec a Iudaeis occisi, Act. XIII, 46, 47, indignantur. Nuptiae quidem, i. e. conuiuium nuptiale, sunt paratae, per quas regnum gratiae, ut supra annotatum, est intelligendum, inuitati autem toties a DEO, iuxta seriam suam uoluntatem, 1 Tim. II, 4, qui se ipsos contempto gratiae diuinae reprobauerunt, non erant digni hac gratia, hac gloria, hac salute, hac uita aeterna, uti Act. XIII, 46 appellatur. Quemadmodum uero a natura illi erant indigni, Eph. II, 3, gratia autem digni facti, Eph. II, 4, seqq. sic nunc ipsi hac quoque gratia per malitiam suam se faciebant indignos, Act. XIII, 46, dum uolebant gratiam sibi oblatam accipere, Matth. XXIII, 37, Io. I, 11.

Πορεύεσθε οὖν -- εἰς τοὺς γάμους. Ite igitur, quia illi, qui loco primo et toties erant inuitati, gratiam meam spreuerunt friuole, nec ad nuptias uenire uoluerunt, ad compita uiarum, qua phrasi denotatur primo idem, quod Sospitator expressit mandato illo, Ite in mundum uniuersum, Marc. XVI, 15, compita enim uiarum sunt illa loca, quae partim ad reliquas exterarumque regiones ducunt, partim ex iisdem ad se homines adducunt attrahuntque, atque inde in compitis, quae uel metropolin, uel Regiam sedem, ut h. l. attingunt, hominum frequentia conspicitur, quo sensu HORATIUS, lib. II, Satyr. III, Compita frequentia, i. e. frequenti populo referta, scripsit,

scripsit, deinde quod noter per synecdochen omnes orbis terrarum partes, in quas missi sunt Apostoli, reliquique legati DEI, ex quibus aduocare iubentur isti, in uerbis, *et quoscumque*, i. e. cuiuscunque sint aeratis, ordinis, conditionis, ac fortis, inueneritis, per quos indicantur omnes, qui sunt extra ciuitatem Israelis, *Eph. II, 12*, atque secundo loco inuitandi erant, hinc conuiciendum non est, ac si gentiles tunc ad regnum gratiae non fuissent, si Iudaei in istud introiissent, siquidem hoc conuiuium nuptiale est uniuersale atque omnibus populis destinatum, *Ies. XXV, 6, 7, LV, 1*, cum Sospi-tator sit omnium hominum Saluator, *1 Tim. IV, 10*, et propitiatio pro totius mundi peccatis, *Io. III, 16, 1 Io. II, 2*; DEVSque uelit, ut omnes homines inuentur, *1 Tim. II, 4*. Nullam igitur est aliud discrimen, nisi quod Iudaei, quae erant p. pulus electus, et ex quibus Christus ortus est secundum carnem, *Exod. XIX, 6, Rom. IX, 4, 5*, primo loco, gentiles autem secundo loco, erant ad regnum gratiae aduocandi, illi per Christum ipsum et per legatos eius, hi per hos tantum. Idcirco etiam hi saltem iubentur, *uocate ad nuptias*, i. e. ad regnum gratiae, ne istud frustra paratum uideatur, uel aliquis existimet, regnum meum gratiae esse particulare, et ad hanc uel illam gentem duntaxat alligatum.

Καὶ ἐξελθόντες οἱ δούλοι - - ἀνακειμένων. Et, i. e. igitur, uid. V. p. 166, hoc mandato accepto, egressi sunt, ut eidem satis facerent, *serui*, i. e. ministri, *isti* in uias, ad omnes mundi partes ducentes, *congregarunt* omni studio adhibito ac diligentia, diu noctuque Euangelium praedicantes, uti ex Apostolorum scriptis edocemur, *omnes, quoscumque inuenerunt* in omni terrae parte, *Matth. XXII, 19, Rom. X, 18*, nemine excluso, est enim uocatio et gratia DEI uniuersalis, *bonos ac malos*, ut etiam hi fierent boni, non uero, ut manerent mali, intelliguntur autem per *malos* non a natura tales, quoniam nemo eo sensu bonus nostrum est, nam omnes filii sumus irae, *Pf. XIV, 3, Rom. III, 10, seqq. 23, Eph. II, 3* sed uel moraliter, quatenus illi honeste, iuxta legis praecepta uixerunt, qualis erat *Aristides*, hi uero, nullo ad honestatem atque ad legem respectu habito pessime uixerunt, uel rectius effectiue, quatenus alii uera fide, ex praedicatione Euangelii, *Rom. X, 17*, instructi, in regnum gratiae introiuerunt, atque illi dicuntur boni, alii uero fidem simulantes ingressi sunt hypocritae, qualis est ille, qui nullo uestitu nuptiali indutus erat ingressus, iuxta uersum seq. Est denique Ecclesia in his terris coetus mixtus ex bonis et malis congregatus, prout ipse Sospi-tator indicauit simili, *Matth. XII, 47, 48*, uel, si malis, utramque coniungas sententiam, ut sensus sit, congregarunt tum eos ad Ecclesiam, qui honestam egerunt uitam, tum eos, qui flagitia

14.

gitia commiserant, respicientes autem Euangelii praedicationi morem gesserunt, tum denique eos, qui uel ut boni, ob fidem, ingressi in fide persistenterunt, uel ut mali, i. e. hypocritae, sine fide uera, introiuerunt. His igitur ingredientibus et discumbentibus impletae sunt nuptiae, i. e. tum locus, quo nuptiale conuiuium erat paratum, conuiuiis implebatur, est tamen haec locutio non eo sensu accipienda, ac si nullus superfuisset amplius locus, huic enim repugnaret asserto uersus 14, sed quod frequentes aduenerint conuiuae, qui uero, respectu multorum uocatorum Euangelio, sunt pauci saltem, tum ipsum conuiuium celebratum finitumque, nec frustra paratum, fuit, qui conuiuii huius, siue regni gratiae, finis erit in extremo iudicio, ubi Filius hoc regnum traditurus est Patri, regnum gloriae auspicaturus, 1 Cor. XV, 24.

Π Ρ Ο Σ Ο Ι Κ Ε Ι Ω Σ Ι C

I DEVS neminem ab aeterno damnauit absolute, sed causis incredulitatis praeuicis, neminem reiecit, nisi prius reiecerint eum homines, 1 Sam. XV, 23. Conf. προσοικ. I et II ad uers. anteced.

II Disce gratiam, longanimitatem, ac benignitatem DEI in gratia eius, omnes uocante ad regnum et nuptias Christi, Rom. X, 18. Sed disce etiam eius iram et poenam in iis, qui hanc gratiam DEI contemnunt, et reiciunt, Rom. XI, 21, 22.

III Quam magna DEI est clementia et amor erga genus humanum, Io. III, 16, Rom. IIX, 32, Eph. II, 8, 1 Io. IV, 9, 10, quibus omnes uult saluos, 1 Tim. II, 4, tam magna quoque est ira eius aduersus eos, qui eius amorem et gratiam aspernantur, eique illudunt, Ies. XXX, 27, Eccl. V, 7, Gal. VI, 7. Metue ergo, Rom. XI, 20, Phil. II, 12.

IV Omnes creaturae sunt exercitus DEI, quibus perdere potest impios, omnes exequantur eius mandata, Deut. XXIX, 20, seqq. Ps. LXXIIX, 46. CIII, 21, 22, coll. 2 Reg. XIX, 35, Ps. CXLIIIX, 8, Ies. XLV, 1, seqq. Ioel. II, 25, Reuocate in memoriam Lissabonam, aliasque ciuitates, quas DEVS, superiori anno, terrae motu, igne, aqua, et uentis euerit.

V DEVM Euangelii sui contemptum uindicare, tum amouendo eius candelabrum a loco suo, tum diruendo contemptorum speluncas, ipse Sospitator docuit, Matth. XXIII, 34, seqq. Apoc. II, 5, et Hierosolymarum septemque Ecclesiarum Apocalypticarum exempla probant.

VI Temeritatis quidem est, Regiam spernere gratiam, sed infaniae est facinus, eos, qui eam afferunt, interficere. O quam profunda est hominum malitia et impietas! *Gen. VI, 5, Rom. III, 11, seqq.*

VII Ut iuxta uocantem DEI gratiam unicuique aditus patet ad regnum gratiae, *Matth. XXIII, 19, Marc. XVI, 15, Rom. X, 18*, sic bonis in illo sunt mixti mali, *Matth. XIII, 37, seqq. 47, 48, Io. VI, 70*, conf. Aug. Conf. Art. III.

IX DEI gratia uocans non est hypocritica, sed seria, non προσωπολήπτης, sed ad quemuis pertinet, *Act. X, 34, seq.* quilibet ad nuptias agni inuitantur, *Ies. XXV, 6, LV, 1, 2, Matth. XI, 28.*

IX A parte DEI quidem omnia salutis bona sunt parata, sed a parte tua, mi homo, est defectus; tu neque paratus es ad nuptias, neque folicitus, ut paratus fias, *Ies. I, 16, seqq. Ier. III, 12, 13, Matth. XXV, 10, 13, Eph. V, 14.*

X Quod in Ecclesia DEI uisibili simul compareant mali, non DEVS est in culpa, qui bonum semen in Ecclesiae agro seminauit, sed Satanus, *Matth. XIII, 37, seqq.* neque in legatos DEI culpa est transferenda, qui malos colligunt, ut resipiscant, sed in hos ipsos malos, qui uestem nuptialem induere nolunt.

VERSUS 11 — 14

11 Εἰσελθὼν δὲ ὁ βασιλεὺς θεάσασθαι τοὺς ἀνακειμένους εἶδεν ἐκεῖ ἄνθρωπον, καὶ
 12 ἐνδεδυμένον ἔνδυμα γάμου. Καὶ λέγει αὐτῷ. Ἐταῖρε, πῶς εἰσῆλθες ὧδε, μὴ ἔχων ἔνδυμα γάμου; Οὗ δὲ ἐφίμωθη.
 13 Τότε εἶπεν ὁ βασιλεὺς διακόνοις. Δῆσαντες αὐτοῦ πόδας καὶ χεῖρας ἄρατε αὐτόν, καὶ ἐκβάλετε εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον· ἐκεῖ ἔσται ὁ κλαυθμὸς καὶ ὁ
 14 βρυγμὸς τῶν ὀδόντων. Πολλοὶ γὰρ εἰσι κλητοί, ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοί.

Ingressus autem Rex spectare discumbentes uidit ibi hominem, non indutum uestem nuptialem. Quare ait ipsi. Socie, quomodo ingressus es hic, non habens uestem nuptialem? Ille autem obmutuit. Tunc dicit Rex ministris. Ligantes eius pedes et manus tollite eum, et euicite in tenebras exteriores, ibi erit fletus et fremitus dentium. Multi enim sunt uocati, pauci autem electi.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ

Εἰσελθὼν δὲ - ἔνδυμα γάμου. Ingressus autem Rex, postquam relatione ministrorum acceperat, quod conuiuiae adessent satis multi, spectare dis-

currunt

14.

14.

24.

20.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

19.

18.

17.

16.

15.

36.

oumbentes, prout quandoque mos est Principum clementiorum, qui, ad gratiam suam testificandam et clementiam, ad conuiuas introeunt, eosque saluant, conf. FRICAETVS in *Obs.* ad h. l. *uidit ibi* in coenaculo, praeter omnem expectationem atque spem, hominem quendam audacem et impudentem, qui, ministris eum non obseruantibus, in ignominiam Regis, uestitu nuptiali non indutus ingressus erat. Cum enim ueterum more receptum fuerit, ut Principes alique, in nuptiis solennioribus, conuiuis inuitatis darent uestimenta pretiosa, nuptiarum solennitati destinata, ut, iis induti, in honorem eius, qui nuptias faciebat, comparerent, quo omnes splendidi, prout Regis conuiuas decet, incederent, quilibet inde, tum criminis, tum contumtionis, in Regem a conuiua admissi, qui, hunc uestitum negligens ingressus erat, intelligit grauitatem. Hunc autem morem receptum fuisse a ueteribus dudum ostenderunt DOUGTAEVS in *Annot. V. T. CORNEL. ADAMI* in *Obs. Phil.* ad h. l. WOLFIVS in *Cur. Phil.* ad h. l. Quid autem, h. l. per hoc uestimentum nuptiale intelligendum sit, in sequenti dicitur usura. Ceterum uero obseruetur, quod THOMAS MAGISTER ualde errauerit, quando numerum singularem γάμον reprehendit, pluralem γάμους saltem in usu esse Atticis, existimans, uid. Celeb. PALAIRET *Obserrat. Crit. Phil.* in N. T. ad h. l. et *Hierocrit. nofter* P. I. p. 113, §. X.

Καὶ λέγει αὐτῷ. -- Ὁ δὲ ἐφημῶσθι. Et, quare, uid. *Vindic* p. 166, iusto dolore prouocatos, *socie, amice*, notat enim ἐταῖρος eum, qui aut amicitia, societate, aut alia ratione cum alio coniunctus est, uti uero hoc loco conuiuis reliquis sese iunxerat, atque in eorum societatem uenerat, improbus, sic multi improbi, quos repraesentat hic, in Ecclesiam, in qua bonis sunt mixti mali, ingrediuntur, qui sunt aut interne hypocritae, quos ministri saepe diiudicare non possunt, sed Rex, qui suos nouit, et hypocritas cognoscit καρδιογνώσης, aut externe male uiuunt, et, zizaniae iustar, in tritico crescant, quos quidem cognoscunt ministri, sed finaliter eicere eos non licet ipsis, quandoquidem a Regis hoc pendet mandato, *Matth. XIII, 30*. Viriusque generis homines, h. l. intelliguntur, quorum Rex alloquitur unumquemque, *Socie*, sub huius enim imagine, qui omnes in Ecclesia militante repraesentat malos, sicut una sponsa, una foemina, repraesentatur tota Ecclesia uera, hinc recte AVGVSTINVS scribit, *sicut ecclesia una est per fidem sub capite Christo, ita tota multitudo reproborum, siue pateat, siue lateat, unum corpus est sub principe diabolo. Amice*, qui in societate et amicitia esse uis electorum, nec tamen uestitu, his conveniente, es indutus, *quomodo*, qua temeritatis fonte, qua leuitate animi, uid. de hoc uocis πῶς significatu exempla tam

Graeca, quam Latina, apud PRICAEVVM, ad h. l. *ingressus es hic*, i. e. ingredi ausus es in hoc coenaculum, i. e. in Ecclesiam, ut esses Ecclesiae membrum uiuum, cum sis putidum et aridum, adeoque aufarendam, *Io. XV, 3*, cum sis impurus et nudus, *Apoc. III, 17*, nec nuditas tua et impuritas uestitu nuptiali tecta et ablata, non enim habes uestimentum nuptiale, quod tamen tibi, sicut ceteris, fuit oblatum. Intellegitur uero per hoc uestimentum nuptiale, iustitia Christi fide apprehensa, *Ies. LXI, 10*, qua uestiti DEO placent soli, *Hebr. XI, 6*, qui uero hac iustitiae ueste uestiti non sunt, illi dicuntur nudi, miseri, inopes, impuri, cet. *Apoc. I. H, 17, 18*. Haec autem uestis fidei licet sit interna et cordis, *Pf. XLV, 14. Act. XV, 9. Rom. X, 10*, tamen externe quoque debet conspici operibus fidei, adeo que rubram et albam esse oportet, ut b. GERHARDVS loquitur, eademque locutione diuersas sententias conciliat, in *Herm. Euang. cap. 153, p. 392*, scribeas, *Haec venatorum uestis est simul rubra et alba. Rubra, ratione sanguinis et meriti Christi per fidem imputati, alba ratione puritatis uitae coram mundo splendentis, Apoc. VII 13. Ex hoc fundamento explicari potest diuersitas interpretationum, quae apud pios ueteres occurrit. Quidam enim per hanc uestem nuptialem intelligunt fidem in Christum, Basl. in cap. IX Ies. Sane Christianorum uestimentum, obnubens peccati turpitudinem, fides est, qua in Christum credimus, quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis, AUCTOR Oper. Imperf. Tom. II, Nuptiale uestimentum est fides uera, quae est per Iesum Christum et iustitiam eius, AMBROSIVS, lib. IV de fide, c. 1, uocat nuptiale fidei uestimentum, AVGVSTINVS, EVSEBIVS EMISSENVS. Alii uero per hanc uestem intelligunt caritatem, dona Spiritus S. studium bonorum operum, etc. quae uera a fide nunquam sunt separata, ac per quae fides, si uera sit et uiua, exterius sese profert, IRENAEVS lib. IV aduers. haeres. c. 70, - - TERTVLLIANVS, lib. de Resurrect. carnis, c. 27. In Euangelio indumentum nuptiale sanctitas carnis agnoscisci potest, ORIGENES Tract. XX in Matib. Quia unius sunt generis omnes, qui seruant malitiam post fidem, quam habuerant ante fidem, et non deponunt eam, arguit eos, quasi qui male fecerint, eo quod ausi sunt in huiusmodi nuptias introire, non recipientes digna nuptiis indumenta, i. e. texturam uirtutum claram uestem, de qua etiam Salomon in Ecclesiaste praecipit, dicens. In omni tempore sint uestimenta tua candida, HILARIUS can. XXII in Matib. Vestitus nuptialis est gloria Spiritus S. et candor habitus coelestis, qui bona interrogationis confessione susceptus usque in coetum regni coelorum immaculatus et integer reservatur, AMBROSIVS lib. I de poenit. c. 6, Ille reiicitur, qui non habet uestem nuptialem, h. e. amictum caritatis, uelamen gratiae. HIERONYMVVS in h. l. AVGVSTINVS,*

GREGO-

GREGORIUS, LEO, ceteri. Atque hac ratione, uti propugnamus, iustitiam Christi, fide nobis imputatam, siue *fidem*, quae iustitiam Christi apprehendit, intelligi per uestem nuptialem, quaeue per charitatem efficax est, siue per charitatem operatur, *Gal. V, 6*, sic eandem sententiam tuetur b. GERHARDUS, l. c. p. 393, seqq. contra Pontificios, qui, sola charitatis opera per illam uestim nuptialem denotari, statuunt male, quoniam nemo in regnum gratiae, nedum in regnum gloriae, introire potest operibus, sed fide. *Act. XVI, 31, Rom. III, 24, 25, Gal. II, 16, III, 26, 27, Eph. II, 8, 9*, cet. nec sine fide aliquis DEO placere potest, *Hebr. XI, 6*, nec alius cuiusdam uestitus in sacris fit mentio, qua DEO placeamus, quam uestitus iustitiae Christi, *Ies. LXI, 10, Gal. III, 26, 27, Apoc. III, 17, 18*, reliqua. Hunc uestitum si quis neglexerit aut contemserit, suae reprobationis ipse causa est et *ἀναπολόγητος*. Atque haec causa erat, cur de nostro dicitur, *Ille uero obmutuit*, sibi conscius, quod uestitum nuptiale sibi oblatum ex perulantia non induerat, sed friuole contemserat, atque hinc in neminem, quam in semet ipsum, transferre poterat futurae suae reprobationis causam, quam facile coniciebat, hinc, cum nihil haberet, quod reponeret Regi interroganti, *obmutuit*, quasi os, capistro iniectis, oclusum fuisset. Conscientia enim mille testis, iudex, tortor, conuiuio, et condemnatio. Vt enim in iis, qui in Christo Iesu sunt, nihil est damnabile, *Rom. IX, 1*, sic, qui in eo non sunt, h. e. fide in ipsum destituti, uti hic hypocrita, rei sunt condemnationis.

Τότε εἶπεν ὁ βασιλεὺς - - ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων. *Tunc*, cum uideret Rex perulantiam et malitiam hominis, isque nihil haberet, quo sese excusare posset, culpa enim sua uestitu, i. e. iustitia Christi, erat destitutus hypocrita, *dixit, demandauit, ministris*, i. e. Angelis, qui uoluntatem DEI exequantur, *Pf. CIII, 20, 21, Hebr. I, 14*, et aliquando in extremo iudicio bonos a malis separabunt, illosque ad gaudia deducunt, hos uero in ignem infernalem detraherent, *Matth. XIII, 41, 42, Ligantes eius pedes et manus tollite eum*, i. e. ligatum manibus pedibus, uid. *Vindic. p. 249, tollite*, supplicio dignum, *et eicite in tenebras exteriores*, i. e. profundissimas. Vt uero manuum et pedum ligatione indicatur, quod nullum detur effugium, nulla liberatio, ex inferno, effugere non possunt, pedes enim sunt ligati, suppetias neque sibi ipsis, manus enim sunt ligatae, neque alii ipsis ferre possunt, iacent enim in tenebris profundissimis, ad quas accessus datur nullus, sic hac remotione a conuiuio nuptiali docetur, quod hypocritae nullam spem habeant futurae uitae, nec ad nuptias agni futuras sint peruenturi, licet in uera Ecclesia fuerint uisibili. Plura de *tenebris*, et quae ad phrasin, *ἐκεῖ ἔσται ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων*, spectant, uid. quae

notata sunt ad u. XII *Euangel. Domin. III post Epiphan.* Conf. quae copiose
 disse ut b. GERHARDVS in Harm. cit. ad h. l. p. 399 seqq. Quibus addatur,
 quod ἐξότερον pro Superlatiuo, h. l. scriptum sit, per enallagen Comparatiui
 pro Superlatiuo.

Πολλοὶ γὰρ εἰσι - - ἐκλεκτοί. *Multi enim, a parte DEI eiusque uo-*
luntatis antecedentis, praedicatione Euangelii, quod Iohannes baptista, eius-
que discipuli, ipse Sospitator et eius discipuli, inter Iudaeos, et postea Apo-
stoli reliquique Euangelistae et Legati Domini inter Iudaeos et gentiles docu-
erunt, in omni terrarum orbe, Matth. XXIII, 19, Rom. X, 18, sunt uocati ad hoc
regnum gratiae, quod DEVS omnibus parauit hominibus, Ies. XXV, 6, Io. III,
16, 1 Tim. II, 4, IV, 10, 1 Io. II, 2, sed pauci, inter Iudaeos aequae ac gentiles,
licet enim innumerae fere myriades ex iis facti sint Christiani, tamen, respe-
ctu eorum, qui partim Christiani facti non sunt, sed in statu infidelitatis,
spreta Euangelii doctrina, perseuerarunt, partim Christiani facti sunt non
ueri, sed hypocritae, pauci omnino sunt, atque hinc, respectu habito ad fidem
uenientium, dicitur, pauci, pauci enim uenerunt et crediderunt, ergo pau-
ci etiam sunt electi ab aeterno, praeuicis causis et ratione uoluntatis DEI
consequentis, quia salus, ex oeconomia gratiae diuinae, a fide finali pender,
Io. III, 16, 18, non absolute. Ceterum notetur, quod hoc epiphonema, Mul-
ti sunt uocati, cer. ad utramque parabolam respiciat, ad Iudaeos scilicet et
gentiles, cuius assertionis argumenta uideantur apud GERHARDVM, l. c. p.
404, b. seqq. Deinde, quod uox πολλοὶ denotet omnes, quo sensu accipi-
tur, in V. T. Dan XII, 2, et exponitur, Io. V, 28, per πάντας, tum in N.
T. Rom. V, 19, in quo loco dicitur, quod unius hominis culpa multi facti
fuerint peccatores, capite III, 23, autem exponitur per πάντας, πάντες γὰρ
ἡμαρτον, itemque cap. V, 12, εἰς ὃ πάντες ἡμαρτον, omnes peccarunt. Ad-
haec omnes reuera sunt multi, conf. Nota 21 Noui Test. nostri ad Rom. V,
25 et 19. Multum itaque abest, ut ex hoc loco, Multi sunt uocati, pauci autem
electi, uel, DEVM paucos saltem, non omnes, uoluisse electos, uel, DEVM
absolute, ex absoluto quodam decreto, paucos elegisse, reliquos repro-
basse, probari possit, quin potius iste falsis illis hypothesibus aduersetur.

Π Ρ Ο Σ Ο Ι Κ Ε Ι Ω Σ Ι C

¶ Noli tibi persuadere, o homo, quod tu sine fide, quae est uestis iustitiae,
 Ies. LXI, 10, Ebr. XI, 6, in regnum coelorum ingredi possis, noli, hypo-
 crita,

crita, tibi blandiri, te posse DEI omniscientiam circumuenire, DEVS, qui omnia uidet, *Ex. IIX, 12. Ebr. IV, 13.* intuetur in te, et cor tuum perscrutatur, *Pf. XIV, 2, 1 Sam. XVI, 7, Ier. XVII, 10.* Fide itaque te exorna, si ipsi placere, et ad nuptias agni admitti uolueris, *Ier. V, 3, Hab. II, 4, Marco XVI, 16, Io. XI, 25, Act. XV, 9, 11, Rom. X, 10, Ebr. XI, 6.*

II Prius te intuere, utrum mundus, *Ies. I, 16, seqq. Act. XV, 9, 2 Cor. XIII, 5,* et ueste salutis indutus, sis, iuxta *πρὸςοικ.* anteced. antequam in conspectum DEI ueneris. Hic enim te iudicat, prout habitus fidei tuae erit, *Ier. V, 3, Act. XVII, 31, 1 Cor. IV, 5, 2 Cor. V, 10.*

III Sanctus cum DEVS sit, sanctus etiam tu ipse esse debes, et sanctus coram ipso comparere debes, *Num. XI, 44, 45.* Ecce Rex est regum, ergo etiam ornatus coram ipso comparere debes. Ideo enim te regem et sacerdotem fecit, ut coram ipso regio et sacerdotali uestitu compareas, *1 Petr. II, 9, Apoc. I, 5, 6, III, 18, quo te ornauit, Pf. XLV, 10, 14, Ies. LXI, 10.*

IV Non ideo in regnum gloriae ad nuptias agni introibis, quod in Ecclesia fueris uisibili, siue in regno gratiae uisibili. Nisi sis de Ecclesia, et Ecclesiae uestitu ornatus, iuxta *πρὸςοικ.* antecedentes, non introibis, *Matth. VII, 21, seqq. Apoc. XXI, 27.*

V Quomodo te excusabis aliquando, hypocrita, qui multum gloriaris de regno gratiae, nec tamen uerum es membrum, fidei uestitu et charitate destitutus? *Rom. II, 17, seqq.* Quid respondebis, quando DEVS tecum contendet, quod gratiam oblatam despexeris, eamque hypocrisis tuae, uel flagitiis tuis, blasphemaueris, *Pf. CXXX, 3, Iob. IX, 3, Rom. II, 24.* Respice ergo, redeas cum DEO in gratiam, dum salutis et gratiae tempus est, *2 Cor. V, 20, VI, 1, 2.*

VI Contremisce peccator, uocem iudicis audiens, *ligate manus pedesque eius, et abiicite eum in tenebras profundissimas.* Quis te hic liberabit? Ex infer-

inferno nulla liberatio. Resipisce, resipisce, hodie, *Ebr. III, 7, 8, iuxta προσοικ. anteced. ne cras lugzas, Luc. XVI, 24, Apoc. VI, 15, seqq.*

VII O leues desipientesque homines! Videte nunc utilitatem, quod ea curastis, quae ad corpus spectabant, quae ad animam vero, neglexistis. Vbi nunc thesauri uestri. Vbi nunc felicitas uestra? Quid vobis nunc prodest amor mundi? *Matth. VI, 19, 20, XXV, 41, Io. II, 16, 17, Iac. V, 1, seqq.* euera-
mus igitur regnum DEI, *Matth. VI, 33*, idque nobis oblatum, *2 Cor. VI, 2*, ne contemnamus, nobis caueamus.

VIII En uocem ueritatis! *Io. XIV, 6*, Multi sunt uocati, pauci electi, et disce altera ex parte, quod DEVS non sit in culpa, qui tories, qui serio, humanum genus uocauit, sed homines ipsi, quorum plurima pars gratiam uocantem contempsit, uid. supra ad u. 1, προσοικ. II, seqq. et ad u. 4, προσο. I, seqq. altera uero ex parte, quod electio non sit absolute, sed ex causis, facta, *Marc. XVI, 16, Io. III, 16, 18*. Vocatio antecedit electionem et reprobationem, Conf. ad u. XVI *Domin. Septuages. προσοικ. I, seqq.*



CAPVT II

QVO

EVANG. DOMIN. XXI POST TRINITATIS

Io. IV, 46 — 54, EXTANS

ILLVSTRATVR

VERSVS 46 — 48

46 Καὶ ἦν τις βασιλικός, οὗ ὁ υἱὸς ἠσθένει,
 47 ἐν Καπερναούμ. Οὗτος ἀκούσας, ὅτι ὁ
 Ἰησοῦς ἦκει ἐκ τῆς Ἰουδαίας εἰς τὴν Γα-
 λιλαίαν, ἀπῆλθε πρὸς αὐτὸν, καὶ ῥώτος
 αὐτοῦ, ἵνα καταβῆ, καὶ ἰάσῃται αὐτοῦ
 48 τὸν υἱόν, ἠμελλε γὰρ ἀποθνήσκειν. εἶπεν
 οὖν ὁ Ἰησοῦς πρὸς αὐτόν. Εάν μὴ ση-
 μεία καὶ τεράτα εἴδητε, οὐ μὴ πιστεύσητε.

*Et erat aliquis Regius, cuius filius aegro-
 tabat, in Capernaum. Hic cum audie-
 rat, quod Iesus uenisset ex Iudaea in
 Galilaeam, abiit ad ipsum, et roga-
 uit ipsum, ut descenderet, et sanaret
 suum filium, futurus enim erat mori.
 Dixit uero Iesus ad ipsum. Nisi signa
 et prodigia uideritis, non credetis.*

ΕΞΗΓΗΣΙΣ

Καὶ ἦν τις βασιλικός, οὗ ὁ υἱὸς ἠσθένει, ἐν Καπερναούμ. *Et erat, i. e. Erat autem, Regius aliquis, quis autem ille fuerit, iam olim disquisitum esse, ex CAUSA BONI uerbis, ad h. l. intelligitur, scribentis, Vetus est quaestio, quo sensu accipienda sit uox βασιλικός, h. l. Chrysostomus duplicem interpretationem affert, uel quia esset ipse τοῦ γένους τοῦ βασιλικοῦ, regii sanguinis, ἢ ἀξιώματι ἀρχῆς ἕτερον οὕτω καλούμενον εἶχε, uel quod alia quadam praeditus esset dignitate, quae sic uocaretur, h. e. propter quam ipse sic uocaretur, puta, Procurator Regis, uel Cubicularius Regius, quod pertineret ad aulam et Ministerium Regis, siue Tetrarchae Galilaeae, qui erat Herodes Antipas. Hoc sensu HIERONYMVS Palatinum uertit, atque hoc omnium uerissimum puto. Nam quis nescit, apud Graecos passim appellatione τῶν βασιλικῶν intelligi Regum aulicos et ministeria? Etsi autem Romani Imperatores filios Herodis magni Regum appellatione priuauerant, et Tetrarchas esse ac dici, iusserant, quin, tamen, a suis Reges saepe dicerentur, nullum dubium est. Et ita loquuntur, Euang. Matth. XIV, 9, Marc. VI, 14 et alibi. Sic et IOSEPHVS loquitur. Nam Hircanus, quem Pompeius Regio nomine priuauerat, et honore summi Pontificis uoluit esse contentum, βασιλεὺς ille nuncupatur etiam postea. Igitur, ἦν τις βασιλικός, non male uerte-*

D

res

res, erat quidam aulicus. In qua sententia etiam SYRVS fuit, qui uertit, **βασιλικός** seruus Regis. Certe, utroque sensu uocem βασιλικός accipi a Graecis, ostendit b. RAPHELIYS in *Notis Polyb.* ad h. l. Conf. b. VVOLFII *Cur. Phil.* ad h. l. Deinde quaerunt ii, qui uocem βασιλικόν pro eo accipiunt, qui fuerit ex Regia stirpe, uel Regulus, utrum ad Herodis, an Caesaris, pertinuerit familiam, an alius aliquis fuerit Regulus. ORIGENIS iam aetate haec fuit quaestio mota, ad h. l. *Tom. XIX in Iob.* scribentis, *Non admodum usitatum inuenimus apud Iudaeos Reguli nomen, unde neque, quantum ad historiam, cogitatione assequimur, quis sit iste Regius, et cuius Regis sit cognominis. Itaque simplicior existimabit, Regium hunc hominem esse aliquem Herodis, (quem tum temporis uulgus uocauit Regem, licet esset Tetrarcha, Matth. XIV, 9,) Regis. Rursus huic similis dicitur est, e Caesaris (uel alius cuiusdam Regis,) domo hunc fuisse Regium, tum temporis aliquid in Iudaea expedientem, neque enim aperte inuenitur, quod fuerit Iudaeus, quoniam non sequitur indigenum eum fuisse illorum locum, eo quod filius eius in Capernaue aegrotabat.* Quae cum ita sint, quilibet intelligit, certi nihil dici posse de hoc Regio, neque decedere ueritati quicquam, cum neque propter sanguinem, neque propter dignitatem Regii, sed propter miraculum, eius causa factum, attulerit historiam Iohannes. Quare cum CHRYSOSTOMO in medio rem relinquimus, siue ideo, quod Regio fuerit genere, siue, quod alia principatus dignitate fungeretur, ob quam Regius, uel Regulus, appellabatur. Contra uero eo facilius soluere possumus eorum quaestionem, qui proponunt, utrum hic Regius idem fuerit Centurio, cuius *Matth. IX, 5, seqq.* fit mentio, imo soluit iam CHRYSOSTOMVS, *Homil. XXXIV in Io. IV,* scribens, *Nonnulli, eundem hunc esse, opinantur, qui est apud Matthaeum, sed alter profecto uidetur non modo dignitatis nomine uerum etiam fide excellere. Ille quidem, uolentem Iesum ad ipsum ire, se indignum censet, hic domum trahit. Ille non sum, inquit, dignus, ut intres sub tectum meum, hic, ut descendat, priusquam moriatur filius, enixe orat. Tunc, cum de monte descendisset Iesus, ingressus est Capernaum, sed in Cana Galilaeae ingresso accessit Regius. Illius praeterea filius paralyti laborabat, huius febris, reliqua. Hic itaque Regius, quicumque ille fuerit, erat, aut uitam agens et habitans, aut commorans, negotiorum expediendorum causa in Capernaum, haec enim uera constructio esse uidetur, ut scilicet Capernaum cum Regio coniugatur, cuius filius ibidem aegrotabat, infirmumque ualde ipsam reliquerat, ad Iesum accedens. Erat autem haec Capernaum urbs Galilaeae, *Luc. IV, 31,* in confiniis Zabulon et Nephthalim, *Matth. IV, 23,* ad lacum Tiberiadis, siue mare Galilaeum, sita, *Io. VI, 27,* ideoque urbs maritima, florentissima, famige.*

migeratissimaque, *Matth. XI, 23*, atque emporeum, quod Iudaei et gentes frequentabant. Imo ipse Sospirator, quo Evangelium non Iudaeis saltem, sed gentilibus quoque, innotesceret, hanc urbem elegerat sibi domicilium, *Matth. IV, 13, seqq. IX, 1*, in eiusque Synagoga publice docebat, *Io. VI, 59*, quanquam eius summa erat ingratitude atque pertinacia, uti ex *Matth. XI, 23, 24*, nemo non uidet.

Οὗτος ἀκούσας - ἡμελλε γὰρ ἀποθνήσκειν. Hic Regius, postquam audiuerat fama, quod Iesus fecisset miracula, iuxta uersus antecedentes, et quod uenisset ex Iudaea in Galilaeam, speciatimque in ciuitatem Cana, iuxta u. 46, adeoque non procul abesset ab urbe Capernaum, siquidem haec ab illa quinque circiter distabat lapidibus, abiit a Capernaum ad ipsum, in ciuitate Cana commorantem, et rogauit ipsum morore et afflictione excruciatum, ut descenderet secum sine mora, ex templo, antequam filius moreretur, quae fidei infirmitas, quae longissime omnino differerebat a Centurionis illius fide, *Matth. IX, 5, seqq.* de quo ad uers. anteced. diximus, sine dubio in causa fuit, cur eam, in uersu seq. 48, culpet Sospirator, et sanaret eius filium praesens, cum tamen Domini arbitrio debuisset committere, utrum praesens, an absens, uelit sanare, si tanta, tamque firma, instructus fuisset fide, quanta Centurionis istius fuit. Sed cum talis non esset, rogat, ut secum descenderet, quoniam regio Canae regione Capernaum erat superior, atque hinc DEVSII obiectio parum infert difficultatis, ad h. l. scribentis, Capernaum erat in monte sita, dicendum ergo erat, ut ascenderet. Forte aulicus iste in decliuore montis loco habitabat. Aut aliter soluendus hic nodus. Nam legimus, *Iud. XV, 11*, Descenderunt in summitatem petrae, contra *Ios. VII, 24*, Ascendere fecerunt eos in uallem Achor. Nam in uallem ex monte descenditur. Sed et ex alio loco depressiore ascenditur in eam. Siquidem scriptores sacri ad regionum, non ad ciuitatum uel uallium, situs respicientes locuti sunt more, cuique genti recepto. Adhaec καταβαίνειν non semper denotat Graecis ex loco editiori in inferiorem descendere, sed etiam ire ex loco in alium, licet uterque in eadem planitie sit situs. Rogat igitur Regius Iesum, ut descendat, ut eat, secum Capernaum, et sanaret, qui tot sanasset. Medicus Israelis, *Exod. XV, 26*, filium suum dilectum, et forte unicum ac bonae indolis, spem patris. Futurus enim erat mori, febre, iuxta u. 52, maligna oppressus prorsus adeo, ut ab aliis Medicis nullum amplius sperandum sit auxilium. Hinc rogat, urget, atque instat, afflicus, et fide infirmus, parens, ut secum proficiscatur.

Εἶπεν οὖν ὁ Ἰησοῦς - - οὐ μὴ πιστεύσητε. Dixit igitur Iesus, cum eius afflictionem cordisque angustiam pariter, ac fidei infirmitatem, uideret *καρδιογνώστης* ad ipsum parentem, utramque ablaturus calamitatem. Nisi tu, et qui tui sunt similes, sibi persuadentes ex incredulitate, me non tam absentem uerbo, qualis fides erat in Centurione illo, *Matth. IIX, 6, seqq.* et in foemina illa Cananaea, *Matth. XV, 22, seqq.* quam praesentem signis ac miraculis iuuare posse, eiusmodi *signa et prodigia uideritis, non credetis*, me esse Messiam, Saluatorem, et Medicum uandī. Qua responsione Sospitator partim parenti de auxilio ferendo spem facit, partim etiam eius aliorumque diffidentiam reprehendit, quod sine signis et miraculis credere nolint. Idcirco plurali usus est numero, ut omnes, qui huiusmodi erant indolis, ad sanio rem mentem reduceret, quo crederent, Iesum non nudum hominem, sed *θεάνθρωπον*, scē, qui uerbo iuuare possit pro sua omnipotentia, *Pf. XXXIII, 9, Matth. IIX, 8.* Licet enim prodigia et signa notae essent Messiae, *Ies. XXXV, 5, 6, Matth. XI, 5, Io. XV, 24,* tamen, quia haec magis, quam Euangelicam doctrinam Messiae, *Ies. LXI, 1, Matth. XI, 5,* attendebant curiositate potius, quam fide, abrepti, in dies, quia iam edita aut extenuabant, aut obliuisciebantur plura ac maiora posebant signa increduli, *Matth. XVI, 1, 2, Io. VI, 30,* omnino Iudaeorum incredulitas erat reprehendenda pariter, ac Regii fides infirma corripienda, ut fieret firma. Ceterum notandum adhuc est ad responsionem Christi, a) utrum Dominus Parenti omnem denegarit fidem, uti in hac sententia fuisse uidetur AVGVSTINVS, ad h. l. scribens, *Qui rogabat, non credebat. - Arguit hominem in fide tepidum, aut frigidum, aut omnino nullius fidei, sed tentare cupientem de sanitate filii sui, qualis esset Christus, et quis esset, et quantum posset. Verba enim rogantis audimus, cor diffidentis non uidemus. - Sed ille pronunciauit, qui et uerba audiuit, et cor inspexit. Denique et ipse Euangelista testimonio narrationis suae ostendit, quia nondum crediderat, qui uenire ad domum suam Dominum cupiebat ad sanandum filium, cet. an aliquam, licet paruam et infirmam, habuerit fidem, ut CHRYSOSTOMVS, CYRILLVS, HIERONYMVS, reliquique fere omnes ita uerunt, ipseque AVGVSTINVS alibi concedit? Nos, ut ab horum sententia stamus, sic eandem ipsorum quoque argumento probabimus. Nimirum, quod ascendit ad Iesum, eumque rogauit, ut sanaret eum, fidei argumentum erat omnino, nisi enim credidisset, non ascendisset. In eo uero errabat Regius, ex eoque parua eius fides cognoscitur et infirma, quod Domino modum iuuandi praescriberet, eiusque potentiam angustis limitibus circumscriberet, sed meliora edoctus a Domino, quod absens etiam iuuare posset, haec parua fides crescebat,*

dum

dum credidit, Dominum uerbo iurare posse, iuxta u. 50, quod autem haec fides uera fuerit, ex euentu discimus, quoniam euenit, ut credidit, aegrotus enim ipsa libra, qua Dominus dixit, et hic credidit, pristinae sanitati restitutus fuit, iuxta u. 51, seqq. et denique fides haec fiebat firma, ipsamque familiam suam confirmabat credentem, iuxta u. 53. β) Cui Plurali usus fuerit Christus in responsione Regio data? Quam quaestionem b. CHEMNITII uerbis in *Harm. Euang.* c. XXXIII p. 281 excutere malumus, quam nostris, scribentis, *Non solum Regulum reprehendit, sed respiciens ad id, quod Euangelista antea dixerat, Galilaeos excepisse Iesum propter signa, quae uiderant, inquit in plurali, Nisi signa et prodigia uideritis, non crederis. Unde colligimus, Christum, cum rediisset inspecturus fructum primi sui miraculi, reperisse animos ita affectos, ut doctrinam ipsius non multum curarent, nudis promissionibus non admodum fiderent, qui tamen finis et uerus usus esse debebat miraculorum ipsius. Sed erecti erant in expectationem, ut plura et maiora signa et prodigia uiderent, et existimabant, egregium opus fidei esse, si ipsi crederent, quando extraordinariam DEI potentiam in externis rebus praesentem uiderent. Hoc Christus reprehendit, et manifeste pronunciat, credere, quod exterius uideat, et re ipsa sentias, non esse illam fidem, quam Scriptura celebrat. Nisi, inquit, signa et prodigia uideritis, non creditis, scilicet uerbo et promissionibus DEI, uel, non creditis, me Messiam esse. Signa enim data sunt propter incredulos, 1 Cor. XIV, 22, ut per ea ad uerbum et promissiones DEI, miraculis confirmatas, deducantur, non autem ut ad fidem adducti uerbo et promissionibus non prius, non amplius, non aliter credant, quam quatenus semper uisibilia signa et externa prodigia adiuncta habent. Fides enim est argumentum et fiducia eorum, quae, in uerbo promissa, non uidentur, sed sperantur, Hebr. XI, 1. Et haec generalis obiurgatio diligenter obseruanda est. Omnes enim ita affecti sumus, ut credere quidem DEO non recusemus, tacite tamen et oblique, proposita hac conditione, ut praesentiam et auxilium eius uideamus et sentiamus non in infirmitate, sed in manifesta ostensione potentiae DEI, sicut in signis et prodigiis. γ) Ad quaestionem, utrum, et quodnam, interfit inter σημεῖα et τέρατα discrimen? respondemus. Si latiori accipiantur sensu, utramque uocem in sacris literis promiscue sumi, ut dudum obseruatum est a GRO TIO ad *Matth.* XII, 39, aliisque, sin stricto uero significato, utramque differre, post CHRYSOSTOMVM docuit THEOPHYLACTVS, ad h. l. scribens, *Scias, aliud esse σημεῖον, signum, aliud τέρας prodigium. Nam τέρας fit praeter naturam, ut est aperire oculos coeci nati, et excitare mortuum. Signum autem, quod non praeter naturam, ut est sanare infirmum. Vtriusque igitur, ex eorum sententia tum prodigii, tum signi, ex-**

emplum in hac miraculosa sanatione observare licet, *signum* enim erat, quod sanabat, *prodigium* vero, quod praeter naturam, *verbo*, sanabat, nullo medicamine adhibito, et adhaec sanitatem pueri praenunciabat, quod etiam est prodigii, auctore AVGVSTINO, ad h. l. scribente, *Prodigium appellatum est, quasi porro dicium, quod porro dicat, porro significat aliquid, futurum esse portendat.* Eodem modo etiam a Graecis derivatur τὸ τέρας, dicitur scilicet ab Ionum τὸ, hoc, et Praeterito Med. Voc. ἔρας dixisti, ex quibus, abiecto o, per crasin τὸῦ τ cum ἔρας fit τέρας, quod a Ioue praedictum est, denotans, siue verbo, siue signo quodam, quod est vel praeter naturam, vel naturae conveniens, praesignificatum. Homero dicuntur Iris et cometa, τέρατα. ut Iliad. β, u. 76, Cometam appellat *prodigium*, canens,

*Qualem autem stellam misit Saturni filius sagacis
Aut nautis τέρας prodigium aut exercitui magno populorum,
Splendidam, ex qua multas scintillas, siue radii, emittuntur.*

et g. u. 501, *Veluti purpuream Irim mortalibus cum extendit
Iupiter coelitus τέρας signum ut sit vel belli,
Vel etiam tempestatis frigidae.*

Sed Christiani, veriora Homero edoſi, sciunt, quod Iris fit signum foederis et gratiae divinae, Gen. IX, 13, non belli, aut tempestatis frigidae, atque hinc in prodigiis, calamitates DEIque iram indicantibus, non referenda.

Π Ρ Ο Σ Ο Ι Κ Ε Ι Ω Σ Ι C

I Nemo sine calamitate! Iob. VII, 1, seqq. Eccl. II, 11, Syrac. XLI, 1, seqq. morbi et mors tam Reges Regiaque palatia, quam pauperes et infimos inuadunt, Ies. XXXIIX, 1, 9, seqq. Luc. XVI, 20, 22, Rom. V, 12, VI, 23. Disce ergo fragilitatem tuam, o homo, Ps. XXXI, 6, quod sis flos, qui hodie floret, cras marcescit et perit, XC, 6, 7; CIII, 15, 16, disce mori, Ps. XC, 13, noli altum sapere Rom. XI, 20, noli superbire dignitate aut gloria tua, sed humilis esto, 1 Petr. V, 5, 6.

II Expendamus, quanta calamitatum sit utilitas, ad DEVM nos ducunt, Ps. LXXXVIII, 2, 3, 4, CXXX, 1, 2, Ies. XXVI, 16, XXXVII, 1, 3, 14, seqq. XXXIIX, 2, 3, 14, 17, Hebr. XII, 5, seqq. Regius non accessisset ad Christum, nisi crux adduxisset eum, tuque forte non essem pius, nisi crux carnem tuam mortificasset. Noli ergo obmurmurare, afflictus qui es, sed exosculare crucem. Ps. XLIX, 36, CXLIX, 67, 74.

III Vox

HI Vox de Christi aduentu undique terrarum sonuit quidem, *Matth. XXIX, 19, 20, Marc. XVI, 15, 20, Rom. X, 18*, sed quam pauci fuere, qui, Regium secuti, ad eum accesserunt, *Matth. XXII, 14*. Vox Euangelii inter nos quotidie sonat, ad Christum uocans omnes, ut ueniant, *Ies. LV, 1, 2, Matth. XI, 28*, sed pauci sunt, qui auditam uocem sequuntur, *Ier. VII, 26, 27*.

IV Christus, qui uult, ut omnes ad ipsum ueniant, *Matth. XI, 28*, neminem a se repellit *Io. VI, 37*, omnes uult exaudire ad ipsum clamantes, *Pf. L, 15*, omnes uult sanare, *Ier. XXXIII, 6*. Accedite ergo ad ipsum precibus, qui afflicti estis, et uos iuuabit, *Pf. XXXIV, 19, LV, 23, XCI, 14, 15, Ies. XLIII, 1, 2*.

V Haec est amoris parentum uis, quod, liberos quae affligunt, parentes quoque affligunt, quando illi corpore, hi animo affliguntur. O si liberi eodem amoris affectu prosequerentur parentes!

VI Parentum est, ut liberorum suorum misereantur, iisque pro uirili opem ferant, *Pf. CIII, 13, Ies. XLIX, 15*, ne pereant.

VII Non decet, DEO modum et tempus iuuandi praescribere, qui horas suas habet, *Io. II, 4*, aerumnas nostras nouit, et in tempore, praeter expectationem saepe nostram, praesto est, *Pf. XCI, 15, Ies. XLIII, 2, LXV, 24, Marc. IXX, 2, Io. VI, 6*. Tuum ergo est, ut ores, et auxilium DEI expectes. is te non deseret, *Ebr. XIII, 5*.

III Fide infirmi sunt quidem ferendi, *Rom. XIV, 1*, DEVS enim ipse fert eos, *Ies. XLII, 3, Matth. XIV, 31*, sed tamen DEVM implorare debent, ut firmior fiat eorum fides infirma, *Luc. XVII, 5*.

IX Incredulitatis causa signa et miracula olim sunt data, incredulitas ea poscit, *Matth. XII, 38, XVI, 1, 1 Cor. XIV, 22*, sed credentes Scripturae S. hodie credunt, ut uerbo ueritatis, *Io. XVII, 17, 2 Tim. III, 16*, et miraculis obsignato, *Marc. XVI, 20*, nec ea quaerunt, nec iis indigent, *2 Petr. I, 19*.

X Ut Christus suos correxit, et, qui ad eam accesserunt, errantes, *Matth. XVI, 23, Luc. XXIV, 25*, sic praecones uerbi diuini idem faciant, ut suos redarguant, qui in errore uersantur, siue se uero, siue mansuero, spiritu, pro rerum circumstantiis, id fiat, *2 Sam. XII, 7, seqq. 1 Reg. XII, 18, Matth. XIV, 4, 2 Tim. II, 24, seqq. IV, 2, Tit. I, 9*.

XI Ut difficile est homini, quando ea credere debet, quae non uidentur, *Io. XX, 25, 29*, in quo tamen uis fidei consistit, *Ebr. XI, 1*, sic DEVS in hac quoque parte, pro sua misericordia, hominum infirmitati subuenit, et signis ac miraculis Euangelii doctrinam, in Ecclesia plantanda, confirmauit, ut fides accendatur, in plantata autem Ecclesia illa non requiruntur, iuxta *per. rom. IX*.

VER-

VERSUS 49 — 51

49 λέγει πρὸς αὐτὸν ὁ βασιλικός. Κύριε, καταβῆθι, πρὶν ἀποθανεῖν τὸ παιδίον μου. λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς. Πορεύου. Τίός σου ζῆ. καὶ ἐπίστευσεν ὁ ἀνδραπὸς τῷ λόγῳ, ὃ ἔπεν αὐτῷ Ἰησοῦς, καὶ 51 ἐπορεύετο. Ἦδη δὲ, αὐτοῦ καταβαίνοντος, οἱ δούλοι αὐτοῦ ἀπήγγειλαν αὐτῷ, καὶ ἀπήγγειλαν, λέγοντες. Ὅτι ἔπαυς σου ζῆ.

Dicit ad eum Reginus. Domine, descende, antequam moriatur puerulus meus. Dicit ipsi Iesus. Vade. Filius tuus uiuit. Et credidit homo uerbo, quod dixit ipsi Iesus, et ibat. Iam autem, eo descendente, serui eius occurrerunt ei, et nunciauerunt, dicentes. Certe puer tuus uiuit.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ

λέγει πρὸς αὐτὸν -- τὸ παιδίον μου. *Dicit ad ipsum Reginus, animi moerore, curis, et angore pectoris agitated quidem, sed tamen adhuc plenus spe, nec correctione Christi perterritus, nec de auxilio eius dubitans, aut desperans, sed preces suas repetens, maiori tamen, ut uidetur, fiducia et fide, Iesum alloquitur, Domine, quo ipso quidem eius potentiam, et misericordiam iuuandi agnoscit et credit, uti ex uersu seq. colligitur, afflictione tamen compressus, et de uitae discrimine, in quod puer uenerat, sollicitus anxie supplicat, Domine, quasi dicens, noli morari, sed meae infirmitati, quaeso, ignosce, credo, Domine, subueni meae incredulitati, Marc. IX, 24, miserere mei, et descende mecum ad aegrotum, antequam moriatur, quia tunc de ipso actum, et aduentus tuus frustraneus, erit, si semel mortuus fuerit, aduentus tuus nobis nihil proditurus est. Non enim illum credidisse intelligitur, Saluatorem mortuos resuscitare posse, licet Propheta sit, qui praesens signa ac miracula edere possit. Interim cum bonae indolis hic Reginus fuerit, nec motibus Spiritus S. resistere, ut uersus sequens docet, hanc quoque diffidentiam ignoscit ei Iesus, eiusque fidem uerbo suo mandati excitat pariter, atque filium pristinae restituit sanitati. Quandoquidem,*

λέγει αὐτῷ -- καὶ ἐπορεύετο. *dicit pro sua omnipotentia, Ps. XXXIII, 9, quam humana natura etiam communicaram sibi habebat, Matth. XIX, 13, XXIX, 20, XXXIX, 18, Io. I, 14, V, 21, seqq. Col. II, 9, ipsi, Regio. Vade, non opus est, ut tecum eam, pro mea enim omnipotentia absens etiam sanare possam ego, qui Israelis sum medicus, Exod. XV, 26, et ideo in hunc mundum ueni, ut infirmos sanem, et quidem animas inprimis, Ies. XXXV, 5, 6, LIII, 4, Ier. XXX, 12, 17, XXXIII, 6, 8. Ergo uade, et, ut cognoscas ac credas,*

das, scito, quod *filius tuus* non moriturus sit hoc morbo, quia princeps ego uitae, *Aët. III, 15, Io. I, 4, V, 21, 26*, uitam ei donauit iam iam, *uiu*t enim. *Filius tuus uiuit*. Qua gratiosa uoce Regius excitatus bono fuit animo. Πληροφραει enim fidei abiit, ut testatur *S. Iohannes*, pergens. *Credidit autem homo uerbo*, gratia Spiritus S. in corde eius opus fidei operantis, *Io. VI, 29*, eumque de ueritate uerbi huius conuincens ac testimonium praebentis, *Aët. XVI, 14, Rom. II, 16, 26, quod*, (ω̄ pro ον, uid. *Hierocrit. P. I, p. 80, seq.*) dixit ipsi Iesui, os ueritatis, et qui mentiri nequit, *Num. XXIII, 19, Io. XIV, 6*, adeo efficaciter, ut tum omnis incredulitas cessaret in ipsius corde, et ex infirma fide euaderet firma, id quod inde colligitur, quia partim diffidens et dubitans nihil accipit, *Iac. I, 6, 7, Hebr. IV, 16*, partim effectus id testatur, quia effectus promissionum suarum ad fidem determinauit Dominus, *Matth. IX, 13, XIV, 28, seqq. Marc. IX, 23, X, 52, XI, 24*, tum filium uitam, quasi de integro, reciperet, prout dixerat Iesus, quam iudicarat parens aut amissam iam, aut amissuram statim. Regius igitur, fide in Iesum et eius promissionem praeditus firma, abiit a Iesulaetus, qui antea accesserat tristis et anceps, et confidentissime sperans, domi factum esse, quod dixerat Iesus, scilicet, filium uiuere et incolumem esse, ac febre liberatum.

Ἡδὴ δὲ - καὶ ἀπήγγειλαν, λέγοντες. *Iam uero, descendente eo*, siue, cum in uia esset rediens Capernaum, unde uenerat, laetus, quia de uita et sanitate certior erat factus, et festinando procul dubio, ut eo citius tanti miraculi testis et praeco esset, sui que desiderii filium uidendi incolumem compos fieret, ecce *serui eius*, obuiam missi a familia, aut sponte in occursum uenientes, *occurrebant ipsi* celeres et ouantes, ut laetum, ΤΗΘΡΥΛΑΚΤΟ in hunc l., scribente, *Obstupescit serui repentina morbi mutatione, occurrunt Domino bonum nuncium afferentes de sanitate filii*, afferent nuncium, partim uero, ut indicarent, aduentum Christi non requiri, quod *CHRYSOSTOMO* uidetur probabile, in h. l. *Hom. 34*, inquit, *Serui autem fortassis, non ut nunciaturi tantum, sed ut superfluum Christi aduentum existimantes, obuiam ierant*. Sciebant enim, iam aduentare, quare in itinere eum conuenerunt, atque annunciarunt serena fronte ac laeta uoce dicentes. *Certe, quaeso*, hanc enim uim exprimendi habet, h. l. uocula ο̄τι, nunquam otiose posita, uid. *Vindiciae*, p. 171 et p. 287, uti Interpretes male asseruerunt haur pauci, *filius tuus*, qui, in mortis agone erat constitutus, et, moriturum esse eum, censebatur, *uiu*t incolumis, maligna nunc febre, quae mortem ipsi minitabatur, et omni infirmitate nunc liberatus.

E

ΠΡΟΣΟΙ-

ΠΡΟΣΟΙΚΕΙΩΣΙΣ

- I In orando non languidi fieri, sed continuare preces nostras, debemus, *Pf. XXII, 2, 3, CXXX, 5, seqq. Matth. XV, 22, seqq.* et licet auxilium DEI non statim præsto sit, tamen aderit opportuno tempore, *Pf. XCI, 14, 15, Ies. LIV, 7, 10, Hab. II, 3, Ebr. XIII, 5.*
- II Quamvis semel iterumque DEVS a throno gratiae et misericordiae nos repellere uideatur, *Matth. XV, 22, seqq.* tamen non obmurmuremus, non lassii, iuxta προσοικ. anteced. non impatientes, fiamus, *Iob. III, 8, seqq. Ier. XX, 14, seqq. XLV, 3, Ion. IV, 8, seqq.* sed patienter expectemus auxilium DEI, *Hebr. XII, 1, seqq. conf. προσοικ. anteced.* non desperemus, sed instemus, *Gen. XXXII, 26, Rom. XII, 12, hora eius nondum uenit, Io. II, 4, ueniet tamen, Hab. II, 3.*
- III Infirmam fidem ut Christus non confundit, *Ies. XLII, 3,* sed sustinet et confortat, *Ez. XXXIV, 16,* ne pereat, nec tu, qui firmam fidem iactas, illam confunde, sed fer patienter, eamque adiuua, *Rom. XIV, 1, XV, 1.*
- IV Tandem post nubila Phoebus! post lacrimas risus, post tristitiam gaudium, *Pf. CXXVI, 2, 5, 6, Ies. XXXV, 10.* Bono ergo animo, DEVS omnia bene faciet, *Pf. XXXI, 25, XXXIV, 19, XXXVII, 5, LV, 23, Ies. LIV, 7, 10, Ios. XVI, 20, seqq. Apoc. VII, 17.*
- V Vbi humanum cessat auxilium, ibi DEI incipit, ubi nullum medicamen sanat, *Ier. IIX, 22, XXX, 12,* ibi unum DEI uerbum sanat, *Pf. XXXIII, 9, Sap. XVI, 12, 13.* Proinde noli animum abiicere, quando hominum cessat auxilium, sed ad DEVM confuge, et auxilium eius patienter expecta, iuxta προσοικ. I et II.

VIDEVS

VI DEVS quidem, se iuare uelle supplicantes, aut promisit, *Pf. L, 15*, sed tempus, quo iuare uelit, non promisit. Idcirco tuum fac, et ora, nec tempus, aut modum, iuandi, praescribas, sed omnia DEI uoluntati committas, atque hic bene faciet, quando uisum ipsi fuerit, *Pf. XXXVII, 5, Is. LXV, 24, Luc. XII, 7, 8, Io. II, 4, 8.*

VII Quae Iesus dicit, sunt ueritas, est enim ueritas ipsa, *Num. XXIII, 19, Io. XIV, 6, 1 Petr. II, 22.* Tuum ergo est, ut credas, licet non uideas, *Ebr. XI, 1*, nec comprehendere possis, *Eph. III, 20.* Seruabit et euenient, quae promisit, *Hab. II, 3, Io. IV, 50, 51, Ebr. XIII, 5.*

III DEVS est, qui in nobis operatur fidem, uelle, et facere *Io. VI, 29, Act. XV, 9, Rom. IIX, 26, Phil. II, 13.* Qua de causa caue, ne tibi, nec tuis uiribus, *Ier. IX, 23, 24, 1 Cor. IV, 7, 2 Cor. III, 5*, sed DEO, tribuas, hanc gloriam.

IX Seruos oportet tum de rebus dominorum suorum secundis gaudere, promptosque esse ad laetum nuncium afferendum, tum etiam in rebus aduersis cum iisdem dolere, *Rom. XII, 15, Col. III, 22, seqq.*

X Bene iis, cui serui DEI dicere possunt, tu uiuis, tuique uiuunt, fide, *Io. XI, 25, 26, Gal. II, 20.*

XI DEVS quidem operationibus Spiritus S. fidem perficit, sed tamen eam simul per eundem interne, tum externe per homines, confortat, *Act. XV, 41, Rom. I, 11, 12, Eph. III, 16, 1 Thess. III, 2.* Conf. ad uersus anteed. προσοικ.

V E R S V S 52 — 54

52 Επύθετο οὖν παρ' αὐτῶν τὴν ὥραν,
 ἐν ἣ κομψότερον ἔσχε, καὶ εἶπον αὐτῷ.
 Οτι χθὲς ὥραν ἐβδόμην ἀφήκεν αὐτὸν
 53 ὁ πυρετός. Εγὼ οὖν ὁ πατήρ, ὅτι ἐν
 ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ, ἐν ἣ εἶπεν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς,
 ὅτι ὁ υἱός σου ζῆ. Καὶ ἐπίστευσεν αὐτός,
 54 καὶ ἡ οἰκία αὐτοῦ ὅλη. Τούτο πάλιν
 δεῦτερον σημεῖον ἐποίησεν ὁ Ἰη-
 σοῦς, ἐλθὼν ἐκ τῆς Ἰουδαίας εἰς τὴν
 Γαλιλαίαν.

*Sciscitabatur igitur ab iis horam, in qua
 melius habuit, et dixerunt ei, quod
 heri hora septima reliquit eum fe-
 bris. Cognouit igitur pater, quod in
 illa hora, in qua dixit ei Iesus,
 certe filius tuus uiuit. Et credi-
 dit ipse et domus eius tota. Hoc
 rursus secundum signum fecit Ie-
 sus, cum ueniret ex Iudaea in Ga-
 lilaeam.*

Ε Ξ Η Γ Η Σ Ι Σ

Επύθετο οὖν - ὁ πυρετός. *Sciscitabatur igitur ab iis, seruis, quam accuratissime, omnes exquirens circumstantias, eo enim sensu accipitur hoc uerbum, Matth. II, 4, et alibi, et in primis horam, siue illius horae partem, in qua melius habuit sese puer, non eam ob causam, ac si de ueritate promissionis Christi sibi datae, dubitaret, sed ut rei aequae miraculum, ac miraculi ueritatem aliis exponere, suamque fidem corroborare, et in aliis eandem excitare, posset. Nam cum successiue natura, uel medicina, operari et febrem fugare possit, omnino hora erat inquirenda et modus, quando et quomodo reconvalesceret puer, ut quilibet ex eo cognosceret, quod febris non naturae beneficio, sed Christi uerbo, auferretur, eo ipso momento, quo dixerat. Vade, puer tuus uiuit, prout recte omnino hoc obseruauit CHRYSOSTOMVS, Hom. 34. in h. l. scribens, Vides, quo pacto miraculum manifestatur? Non enim per successionem et diuturnitatem conualescentiae, ut assidet, liberatus est, sed repente, ne naturalis ualuetudo, sed Christi operatio, uideretur. Nam, qui in ipsum mortis articulum uenerat patris testimonio, dicentis, descende, priusquam moriatur filius meus, e uestigio in prosperam restitutus est ualuetudinem. Postquam igitur serui tempus heri suo indicant, quo puer reconvalesceret, eique dicunt, quod heri, hora septima, quae, more numerandi nostris recepto, hora prima a meridie est, uid. quae ad u. 3 Euang. Domin. Septuages. annotauimus, reliquit ipsum inopinato, praeter omnem spem atque expectationem febris, ardens forte, descendit enim πυρετός a πῦρ ignis, uoce quidem phrygica, Graeca tamen ciuitate donata, ipseque simul uires suas*

recu.

recuperavit integras, confestim intellexit, sanitatem, ut crediderat, a Christi uerbo traxisse originem, de quo ad uersum seq. Ceterum ex responsione seruorum, *heri dereliquit eum febris*, inferunt quidam se uentia, *Da die siebende Stunde nach der Jüd'schen Uhr, die erste nach dem Mittag war, und die Diener vermuthlich bald nach erstehener augenscheinlicher Hülfe vor Freunden zu dem Herrn nach Cana gegangen, und doch den andern Tag erst zu ihm unterwegs gekommen sind, so hat man daraus abzunehmen, daß die Oerter nicht so gar an einander gelegen haben. Welcher Umstand der Entlegenheit denn anzeigt, wie groß die Begierde gewesen sey nach der von Christo in der ferne gesuchten Hülfe, und was in dem Gemüthe unterwegs vor eine Prüfung vorgegangen sey.* Sed quemadmodum posterius assertum quilibet admittet facile, sic prius est incertum, cum incertum sit tempus, quando Regius ex Canaan, et serui ex Capernaum sunt profecti, itemque incertus sit locus et tempus, quo Regius et serui inuicem in uia conuenerunt.

Εγνώ οὖν ὁ πατήρ - ἡ οἰκία αὐτοῦ ὅλη. Cognouit igitur, ex seruorum relatione, qui praesentes fuerant procul dubio, cum derepente reconvalesceret filius, adeoque testes erant *αὐτόπται*, *parens*, qui tempus, ipsamque horam obseruauerat accurate, qua ad Christum accesserat supplex, ab eoque promissionem acceperat miraculosam, quod, hac ratione, *in eadem illa hora febre maligna liberatus fuisset filius, in qua dixerat efficaciter, et pro omnipotentia sua, ei Iesus, certe filius tuus uiuit.* Conuincebatur igitur Regius de promissionis, a Christo sibi datae, et in quam crediderat, ueritate, conuincebatur, quod Dominus etiam absens iuuare possit, conuincebatur denique, se errasse, quod Sospitatori modum iuuandi praescripserat, de eoque statuerat, quod praesens saltem iuuare possit. Sed non ipse tantum conuincebatur de Christi diuinitate, uerum etiam tota eius familia. Siquidem *credidit ipse*, infirma eius fides et imperfecta conuertebatur in fidem firmam ac perfectam, *et domus eius uniuersa*, i. e. familia, siue domestici omnes, usum rationis habentes, per synecdochen profanis quoque usitatam. Sed quid crediderunt illi? omnino hoc, Iesum esse Messiam generi humano promissam, uerum hominem et uerum DEVM, Iesum esse suum Messiam, suum Dominum, se uero esse eius discipulos. O admirandam cordium metamorphosin, o beatam illam horam, qua, uno Patrefamilias praeeunte, et mirabilia Domini enarrante, qualia exempla uid. *Act. XVI, 14, 15, 31, seqq. XIX, 8,* tota ad Dominum conuertebatur familia. O summam Sospitatoris misericordiam ac prouidentiam, qua, corpore unius sanato, tot sanauit animas.

O luculentissimum gratiae diuinae exemplum ac documentum, DEVM serio uelle hominum salutem, si modo hi uelint, eum varias habere uias, quibus trahere uult ad se homines, si modo uelint. Hanc ad se traxit familiam morbo unius, qui ipsis uidebatur tristitia et damnum, gignit gaudium ineffabile ipsamque salutem, alios aliis adducit ad se rationibus, quae quidem saepe initio uidentur damnosae, sed tamen uergunt in salutem. O quam imperuestigabiles sunt eius uiae! Rom. XI, 33, seqq. quae ab euentu nonnunquam in hac uita cognoscuntur, Io. XIII, 7. Ceterum mystice exponit hoc miraculum THEOPHYLACTVS ad h. l. scribens, *Perficiat autem et nunc hoc miraculum Dominus. Omnis homo est regius quidam, non solum quod cognatus propter animam Regi omnium, sed etiam, quod ipse regiam dignitatem supra omnes accepit. Inuenitur autem saepe habens quidem mentem, quasi filium, igne illicitarum uoluptatum et concupiscentiis male laborantem. Si igitur accesserit ad Iesum, et petiuerit ab eo, ut descendat, hoc est, misereatur, et remittat illi peccata, priusquam tota a morbo uoluptatum moriatur. Si enim nostri non miseretur DEVS, sed obseruaret iniquitates, et secundum illas ulcisceretur, quisnam sustineret? Si igitur accesserit, ut dictum est, assequetur, quod quaerit, et recipiet mentem suam sanam. Veruntamen uide etiam, quid dicat ad illum Dominus. Vade, filius tuus utiuit, hoc est, ne sis immobilis ad bonum, sed uade, et incessabilem motionem ostende ad bonum, tunc enim filius tuus uiuet. Si autem quietaueris non ambulans, morietur plane mens tua, eo quod ad bonum te non promoueris.*

Τοῦτα πάλιν δεύτερον σημεῖον -- εἰς τὴν γαλιλαίαν. Hoc iterum, hic Canae Galilaeae scilicet, Io. IV, 46, restringit enim uocula πάλιν hoc signum ad Canaan ciuitatem, cuius respectu erat secundum, non autem in genere, quo respectu plura ediderat, uid. Io. II, 23, secundum signum miraculosum, siue miraculum, quo Iesus diuinam suam gloriam, ut gloriam unigeniti Filii DEI, Io. I, 14, manifestauit, atque incredulitatem Regii, et forte aliorum etiam, expugnauit, ut crederet, Iesum esse Messiam, qui absens quoque inuare posset, fecit eo tempore, cum ueniret ex Iudaea in Galilaeam. Occasione huius miraculi fuit quaesitum, utrum hodie expectanda in uera Ecclesia sint miracula? Pontificii, in iisque BELLARMINVS, affirmant quaestionem, eaque pro uerae Ecclesiae nota habent, nostrates contra negant, quoniam miracula Ecclesiae plantandae, ad firmandam Euangelii doctrinam et fidem data sunt, Marc. XVI, 15, seqq. nunc uero, cum Ecclesia sit plantata et Euangelii doctrina confirmata, nec ullibi legatur

tur

tur promissum, quod miracula ad consummationem seculi usque durare debeant, uel fidei sint fundamentum, falso illa ab aduersa parte urgentur, in primis, eum Antichristo quoque adscribantur, 2 *Theff. II, 9*, ac difficulter a satanae operationibus distingui possunt, *Deut. XIII, 1, seqq. Matth. XXIV, 24, 2 Theff. II, 9*, nostris contra Verbum DEI et miracula, in eodem consignata, sufficiunt, *Luc. XVI, 29, 31, Io. XX, 31, Rom. XV, 4, 2 Petr. I, 19*. Qui enim credit, ut recte iudicauit CHRYSOSTOMVS, miracula non exposcit,

Π Ρ Ο Σ Ο Ι Κ Ε Ι Ω Σ Ι C

I In DEI beneficia accurate et diligenter inquirere nos decet, ut ea, de iis conuicti, non nobis, aut aliis causis secundis, tribuamus, sed ipsi soli asserentes, credamus, et confidamus, quod sit benignus, misericors, et adiutor noster, ipsumque grata mente celebremus, *Pf. LV, 23, CIII, 1-5, 8, 13, Ies. XLIX, 15, 1 Cor. IV, 7, Iac. I, 17*.

II Vinam quilibet nostrum horam baptismi, quo a peccatis emundatus sanitatem animae recuperauit, inquireret et recordaretur, quanta eodem bona in ipsum contulerit DEVS, *Ies. LXI, 10, Act. II, 38, Rom. VI, 4, Gal. IV, 26, 27, Eph. V, 26, 27, Tit. III, 4, 5, 1 Petr. III, 21, 1 Io. I, 7, Apoc. I, 5, 6, conf. προσοικ. anteced.*

III Quot sunt horae, tot etiam beneficia diuina in nos extant. Noli ergo securus esse, sed quauis hora inquire in gratiae diuinae dona, quibus te maclauit, ac gratiae mentis hostias persolue, *Ebr. XIII, 15, conf. προσοικ. I.*

IV Quam imperuestigabiles sunt uiae Domini, quas in conseruandis hominibus incedit! *Rom. XI, 33.* Morbus filii occasio erat totius familiae confes-

conseruandae. Ergo noli impatiens esse, uel obmurmurare, quando DEVS tibi, uel tuis immittit calamitates, *Hebr. XII, 5, seqq.* nescis enim consilia DEI, *Io. XIII, 7, Rom. IIX, 28, XIII, 33.*

V Promissiones diuinae ipsa hora eueniunt, qua promisit. Spera igitur et expecta, quam certissime euenient, *Num. XXIII, 19, Ps. XXXIII, 9, Habac. II, 3, Io. II, 4.*

VI Si DEVS uerbo creauit hoc uniuersum et uitam dedit, si mortuos resuscitare potest, quoscunque uult, *Io. V, 21*, quidni, uerbo, uitae Princeps, *Act. III, 15*, uitam conseruare possit aegroti?

VII Si in genere ab uniuersis requiritur Christianis, ut laetentur cum laetantibus, et tristes sint cum tristibus, *Rom. XII, 15*, multo magis hoc conuenit familiae, domesticis, ac famulis, ut simul lugeant, simul gaudeant, *Iob. II, 11, seqq.*

VIII Qualis rex talis grex, qualis pater familias, talis eius familia, saepe unus credens plures facit credentes, *Act. XVI, 14, 15, 31, seqq.* Hinc illorum omnino est, ut ipsorum fides praeluceat, *Matth. V, 16*, horum uero ut illos sequantur.

IX Nisi Iesus serio saluos uellet homines, eos non toties uocasset, uid. ad u. 1 seqq. *Euangel. Dom. XX post Trin. προσοικ. II, seqq.* non tot fecisset miracula, nec toties ea repetiisset. Amplectere ergo gratiam DEI, dum gratiae tempus est, *2 Cor. VI, 2, Hebr. IV, 7*, nec DEVM, sed te ipsum, cum condemnatus fueris, accusa, *Io. III, 18, Matth. XXIII, 37, Act. XIII, 46.*

Τ Ω Ι Θ Ε Ω Ι Μ Ο Ν Ω Ι Η Δ Ο Ξ Α

Index

- 1.) Christ. Aug. Schüz (P. F. F. Bahrdt) De Vestigiis Deligionis paganae apud Pontificios specimen ad Matth. IV. 10.
- 2.) Jo. Frid. Stultschmann Vindiciae oraculorum quorundam apud E.; potissimum locorum Matth. V. 2 & XIX. 21-26.
- 3.) Cass. Jac. Huetig de Manufactis terra haredibus. Matth. V. 5. Sectio prior exeg.
Sectio posterior dogm.
- 4.)
- 5.) Christ. Sigism. Georgius de Proprie Infirmitate Vanitate ad L.L. Matth. V. 20-26. & Luc. V. 1-11.
- 6.) Jo. Henr. Messerschmid de Dictione sacra Aquevae sa oquadguata ex Matth. VI. 12. contra Frisium.
- 7.) Christ. Sigism. Georgius de Limitate Christi omnipotentis & omnificentis attributis probata ad L.L. Matth. VII. 1-13. 23-27. XIII. 24-30 illustrandos.
- 8.) Christ. Leber. Müller (P. P. E. Neubauer) de Missionariis Christi. ad Matth. X. 10. & Luc. X. 3.
- 9.) Christoph. Matth. Paffius de Ecclesia Petri inaedificata & Potestate ligandi & solvendi Petro data, ad Matth. XVII. 18. 19.
- 10.) Throph. Gul. Frisch (P. F. F. Bahrdt) de Potestate Ecclesiae, D Matth. XXI. 19.
- 11.) Christ. Sigism. Georgius de Scandalo dato atq. accepto, ad L.L. Matth. XVIII. 1-11. & IX. 1-8.
- 12.) Christ. Gottl. Frid. Woffius de Divortio Sudaorum ad illustrationem var. S.S. Cl. imprimis Matth. XIX. 8. 9.
- 13.) Jo. Rud. Hiesling de Procuratore in Ninea Domini, ad Matth. XX. 8.
- 14.) Christ. Sig. Georgius de gratia Dei homines vocante feris & universali, ad L.L. Matth. XXII. 1-14. & Joh. IV. 47-54.
- 15.) _____ de Amore erga Deum, se ipsum & proximum, ad L.L. Matth. XXII. 34-46. & Luc. XIV. 1-11.
- 16.) Jo. Henr. Doehn Commentatio in Matth. XXIII. 5. 9. 10. (Matth. XXIII. 37. *Ms. Pars altera*.)
- 17.) Jo. Geor. Gottl. Schwartz (P. P. H. Rollin) de gratia convertente Sudais feris oblata & turpiter ab ipsi repudiata ad
- 18.) Henr. Gottl. Richterius (P. P. H. Klauinger) de imitatione copiarum collectiu circa finem orbi expectanda, ex Matth. XXIV. 29. Marc. XIII. 25. & Luc. XXI. 26.
- 19.) Christ. Thomasius (P. P. F. Mochl) de Injusto Pontu Pilati iudicio.
- 20.) Christ. Sig. Georgius de Sepi iustificante & iustificato ad L.L. Marc. VII. 31-37. & Luc. XXIII. 9-14.
- 21.) Jo. Dav. Michaelis Dissertations duae ad Marc. X. 42. & XV. 25. ac Joh. XIX. 14.
- 22.) Chr. Sig. Georgius de Fide in I. C. ad dextram Dei exaltatum sacrificia, ad L.L. Marc. XVI. 14-20. & Joh. III. 16-21.
- 23.) _____ de Fidei adagogogias certitudine, ad L.L. Luc. I. 57-80. & I. 39-56.
- 24.) Georg. Goebius de Prosopio Christi.
- 25.) Christoph. Frid. Schott (P. P. H. Klemm) ad Luc. XIII. 23. 24.
- 26.) Chr. Sig. Georgius de Homine aeterna sua damnationis causa, ad L.L. Luc. XIV. 16-24. & XVI. 19-31.
- 27.) _____ de imitatione sepe Dei misericordis ad L.L. Luc. XI. 1-10. & VI. 30-42.
- 28.) Joh. Andr. Gnilius in Dictionem salvatoris Luc. XVII. 20-21. de Regno sui in Ferris.
- 29.) Paul. Gysing. a Pettijer de Osulo sacro Rom. XVI. 17. eiq. opposito Osulo Suda. Luc. XXII. 48.
- 30.) Jo. Gottl. Lange (P. P. H. Stumler) Nathanaelis de Christo confessio. Joh. I. 49.
- 31.) J. Tillmann ducta Sctura de lotionem a Christo administrata.
- 32.) Joh. Ad. Qvander de Historia Mulieris adultera non adulterina, ad Joh. VIII. 1-11.
- 33.) Gul. Henr. Hospersdorf (P. P. C. H. Hoffm) contra Geor. Trauersuntium in verba Christi ad Petrum Joh. XXI. 22.

34) a. Pietas paraſceuaſtra in ſuprema ſervatoris in cruce morientis

b. Jo. Chriſt. Werner Doctri Panegyricus dñi xpi æmortalis habitus.

I pag. 3. de Reſurgitæ vultum præſentis in
xpo ad æternam judicium redire.
II p. 16. de xpo placabilis exemplo.

35) Bened. Gottl. Hlauswitzæ Dictiona que harmoniam hiſtoria Reſurrectionis I. C. circumſtant.

36) Gottl. Frid. Gudæ

a. Vindicta Dictorum Johannis pro univerſali gratiæ ab Epiphaniæ Lampæ.


b. ——— Paucitatis Salvandorum à Colli ſecondi Curioni objectionibus.

c. ——— Nathanaelis a Patria ſua contemptu.

2







am excitare possunt, nisi officiorum suorum
et ipsum salute sua se priuare proterue volue-
contra securi sunt omnes, qui *μετὰ Φίβσ, καὶ*
ὑπὸ στερητικῶν docente Paulo ad Philip. II, 12. pro-
atque haec securitas illa omnino est animi feli-
citous contra carior, et ab auctore, quibus potuit
licata. **)

§. 33.

arum autem more pugnat, quando aduersa-
risat, eos non nisi eiusmodi homines coelesti ciui-
tatis, qui ad summam in virtutibus exercendis ex-
t. *) Quae quidem sententia diuinis oraculis
cuinam vero nostrum placuerit? me pror-
elutum paucitatem qui defendunt, non *ἀρμὴν*,
, et integritatem fiduciae in Christum, vitae-
um ab iis requirunt, qui coelitibus volunt ac-
eorum itaque beato confortio nequaquam pro-
infirmirate spirituali, et peccatis citra proae-
tis laborant. Ius enim ciuitatis huius non me-
l diuinae gratiae, et Christi lytro vt in acce-
iterum iterumque docent, et inculcant. Ec-
st ille error, quo paucitas illa suffulciatur, et
nutri-

nquit p. 14. securitatem intelligo eam, quae ex quadam le-
futurique iudicii contempione nascitur; sed vacuitatem
atque animi tranquillitatem ab diuinae erga humanum ge-
is fiducia proficiscentem, quam pacem Dominus, et apostoli
In huiusmodi securitate aio vitam beatam esse positam,
tem sanctitatis, atque omnium benefactorum appello.
quae ad Sum 30. n. * ex auctoris prooemio in medium pro-
rba. Quae citata pagina vindicat, et illustrat: Vt in ter-
te bene constituta sunt summi, sunt medi, sunt infimi: sic
ate illa coelesti, quae in terris paulatim Dei clementia con-
stituitur, non modo vates, et apostoli, atque eorum simi-
am e media plebe plerique, atque ex omni ordine, gente, natio-
locum inueniuntur.

K

